BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
F
38
NAPOLI

38

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOHANNIS LOCKII

ARMIGERI

LIBRI IV.

DE INTELLECTU HUMANO

Denuo ex noviſſima editione idiomatis Anglicani, longe accuratiori in puriorem ſtylum translati: notis criticis Domini Gottelff Henrici Thiele, Domini Coste, ac Francisci Soave illuſtrati: accedunt nonnullæ meditationes Doct. Johannis Leonardi Marugj ad textum illuſtrationeſque accommodatæ.

TOMUS III.

Apponitur Elenchus Capitum.

NEAPOLI

Ex officina Vincentii Manfredii

SUPERIORUM FACULTATE.

MDCCLXXXIX.

M O N I T U M

Eſt adnotandum, quod in tomo II. error occurrit in notis: illa enim numero 84. ſignata pertinet ad idem §., ſed ubi legitur *ſi non includit tunc oſtendant oportet:* in hoc numero eſt collocanda ea quæ ſequitur, & ſic deinceps uſque ad 94. Ulterius nota 97. pertinet ad §. 3. ubi jacet numerus 95. & in numero 97. poni debet quæ eſt in numero 98., hic demum quæ eſt in 99.

TENTAMEN PHILOSOPHICUM DE INTELLECTU HUMANO.

SEQUELA LIB. II.

CAP. XXI.

De Potentia .

§. I.

Hæc idea quomodo obtineatur .

ANimus, quotidie a ſenſibus admonitus, de ſimplicium iſtarum *idearum* alteratione, quam in rebus externis percipit; animadvertens etiam quomodo alia ad finem perducatur & deſinat eſſe, alia exiſtere incipiat, quæ prius non erat: ea etiam intuens, quæ intus fiunt, & videns *ideas* ſuas conſtanter immutari, mox per impreſſiones objectorum externorum in ſenſus, mox ex ſua ipſius voluntate libera, & ab iis colligens; quæ conſtanter ita contigiſſe animadvertit, a ſimilibus agentibus & iiſdem modis operandi, ſimiles futuras in poſterum in rebus iiſdem immutationes, in una re conſiderat, quam poſſibile ſit, ut quædam ex *ideis* ſimplicibus mutationem ſubeant, in alia ve-

ro , ut cauſa ſit mutationis iſtius ; atque ita *ideam* iſtam adipiſcitur, quam vocamus *Potentiam* (1). Hoc modo videmus igni potentiam ineſſe aurum liquefaciendi, *i. e.* partium iſtius inſenſibilium compagem, & ita etiam duritiem ejus diſſolvendi, idque fluidum reddendi ; auro vero ut liquefiat ; ſoli ineſſe potentiam dealbandi ceram, ceræ vero ut a ſole albeſcat, & pro flavedine ſua albedinem induat ; quibus in rebus potentia, quam conſideramus, reſpectum habet ad ſenſibilium *idearum* mutationem. Obſervare enim nequimus, rem quandam alterari, aut aliquid in aliud operari, niſi per *idearum* ſenſibilium planam mutationem ; nec concipere, fieri quandam alterationem, niſi quarundam *idearum* mutationem concipiamus.

§. II.

Potentia activa & paſſiva.

POtentia hæc dupliciter conſideratur, nimirum quatenus poteſt efficere, vel recipere quandam mutationem : altera poteſt dici *Activa*, altera *Paſſiva Potentia* (2). Utrum materia non penitus ſit expers potentiæ activæ, prout Deus conditor iſtius liber eſt ab omni paſſiva ; utrum etiam præter ſpiritus creatos, qui quaſi medium quoddam conſtituunt inter materiam & hoc ſummum Ens, aliud quiddam activæ ſimul & paſſivæ potentiæ capax ſit (3) ; res ſunt conſide-

---

(1) *V. adn.* 129. 131. *tom.* 1.

(2) Dicitur potentia *activa* „ quæ continet in ſe rationem „ poſſibilitatis producendi mutationem „ paſſiva poſtea „ quæ continet in ſe rationem poſſibilitatis ſuſtinendi mutationem „ quod una ab altera differt, eſt ergo ratio mutationis in ſe, vel extra ſe poſita.

(3) Leibnitius (*V. Act. erud. a.* 1694. *p.* 110.) Wolfiuſque (*V.*

ſideratione dignæ. Diſquiſitio iſta non hujus eſt loci; mihi enim haud propoſitum eſt, potentiæ originem inveſtigare, verum exquirere unde *ideam* iſtius obtineamus. Quoniam vero *Activæ Potentiæ* partem magnam efficiunt complexarum noſtrarum *idearum* naturalium ſubſtantiarum, (prout poſthac videbimus), & pro talibus hic a me habentur juxta communem conceptum; cum tamen, fortaſſe, haud vere adeo ſint potentiæ activæ ac a præproperis noſtris cogitationibus repræſentari ſolent, haud inconſentaneum eſſe puto, ut, quo melius activæ potentiæ *ideam* clariſſimam adipiſcamur, ad Dei & Spirituum conſiderationem animos intendamus.

§. III.

Potentia relationem includit.

Fateor equidem, *potentiam in ſe includere relationem aliquam* (ad actionem nimirum aut mutationem) (4) quod revera etiam de aliis *ideis* noſtris, cujuſcunque ſint generis, cum attente conſiderentur, dicendum erit. Annon enim *ideæ* noſtræ omnes extenſionis, durationis, & numeri occultam in ſe continent partium relationem (5)? figura & motus aliquid reſpectivum multo clarius in ſe includunt; & qualitates ſenſibiles, uti colores & odores, &c. quid aliud ſunt quam diverſorum corporum potentiæ, reſpectu perceptionis noſtræ, &c. & ſi in rebus ipſis

 con-

(*V. Metaph. Germ.* §. 144.) definiebant ſubſtantiam „ per ens „ vi activa gaudens „ Newtonus pariter vim activam materiei tribuit. Immo obſervationes demonſtrant, ut & experimenta quod materia utraque vi gaudeat (13. *tom.* 2.).

(4) Potentia ſupponit, quid aptum ad patiendum vel agendum.

(5) *V. adn.* 64. 68. 76. *tom.* 2.

conſiderentur, annon pendent e mole, figura, textura, & motu partium? quæ omnia relationis aliquid in ſe includunt. Noſtra itaque *potentiæ idea* alias inter *ideas* ſimplices merito, arbitror, recenſeri debet, cum una ſit e præcipuis illarum, ex quibus complexæ noſtræ ſubſtantiarum *ideæ* conſtantur, prout poſthac demonſtraturi ſumus (6).

§. IV.

Idea clariſſima potentiæ activæ a Spiritu ſumitur.

PAſſivæ *Potentiæ* res omnes ſenſibiles nobis abunde ſatis *ideas* ſuppeditant; quarum qualitates ſenſibiles & exiſtentias cum in perpetuo fluxu eſſe deprehendamus, non ſine ratione eas conſideramus, tanquam mutationibus iiſdem ſemper obnoxias. Nec *Potentiæ activæ* (quæ propria magis ſignificatio eſt vocis *Potentiæ*) (7) paucio-

(6) *V. adn.* 131. *tom.* 1.

(7) Hic confunditur male cum vi. Diſtinguenda eſt potentia, & vis. Illa non ſupponit actum, ut & hæc ſupponit: ſufficit pro illa poſſibilitas agendi vel patiendi, non pro iſta; illa conſideratur tanquam ens iners, hæc ut ens agens. Exemplum afferam. Mihi potentia eſt pondus quinque librarum elevare, ut & in pondere eſſe elevatum, non ſequitur hic actus elevationis, per conſequens actionis, vel paſſionis, tantum detinetur, ut ajunt, in potentia, nec ſenſibilis evadit; non ita ſi adeſt vis elevandi, hæc ſupponit actionem, ut & paſſionem ponderis elevati & ſenſibilis effectus. Quapropter Wolſius definiebat vim „ per id, in quo continetur ratio ſufficiens, qua actio ad „ exiſtentiam perveniat, & actu adſit „ (*V. Conſ. Ontol. p.* 542.). Carteſiani hæc confuderant, at Leibnitius vim ab agendi potentia diſtinguere cœpit (*Act. erudit. an* 1694. *pag. III.*). Quid ergo? Quod ait Lockius de potentia, dici debet de vi. Improprie dicitur *vis paſſiva*, etſi Newtoniani vim *activam* & *paſſivam* conſiderent, ut eſt vis *motrix*, & vis *inertiæ*, pro eiſdem; non ſic potentia, in qua generatim ſupponitur quæcunque poſſibilitas.

ciora habemus exempla: qualiſcunque enim mutatio fieri animadvertitur, æque neceſſarium eſt, ut mens alicubi potentiam colligat mutationem iſtam efficiendi, ac aptitudinem in re ipſa ad eam recipiendam. Si vero rem attente conſiderare velimus, haud corpora per ſenſus æque claram & diſtinctam *ideam* potentiæ activæ nobis exhibent, ac nanciſcimur animorum noſtrorum *ideas* animadvertentes. Cum enim potentia omnis (8) ad actionem referatur, & ſint tantum duo genera actionum, quarum *ideam* aliquam habemus, *Cogitatio* nempe & *Motus*, reputemus nobiſcum, unde oriantur *ideæ* clariſſimæ potentiarum, quæ actiones iſtas producunt. I. Cogitationis nullam omnino *ideam* nobis corpus ſuppeditat, iſta ſoli reflexioni tribuenda eſt. II. Non principii motus *ideam* aliquam a corpore haurimus. Corpus quieſcens nullam nobis *ideam* præbet activæ alicujus potentiæ movendi; & quando movetur, motus iſte paſſio verius dicitur, quam actio: quando enim pila baculi (*) luſorii ictui cedit, haud pilæ iſta actio eſt, verum paſſio; quando etiam per impulſum pilæ alteri, in quam incidit, motum dat, quem ab alio corpore acceperat, iſta cum pila tantummodo communicat, & de ſuo tantum amittit, quantum altera recepit; hoc vero non niſi obſcuram *ideam* activæ potentiæ movendi in corpore nobis tribuit; cum illud transferre tantum motum, non de novo producere obſervemus. Ea enim valde obſcura eſt *idea* potentiæ, quæ non ad actionis productionem, verum paſſionis ſolum continuationem pertinet (9): ita vero ſe motus habet

 in

(8) Et quoque ad paſſionem (7).

(*) Hoc luſus genus vocabulo Gallico nobiſque uſitatiori vocatur *Billard*.

(9) Quando corpus recipit impulſum, patitur profecto; at hoc recepto, actu in quo partes corporis impulſi animatæ fuere, abſ-

in corpore, quod ab alio impellitur; alterationis quippe continuatio, factæ in eo a quiete ad motum, haud multo magis actio eſt, quam continuatio alterationis figuræ ejus per ictum eundem actio dicenda eſt. Initii *motus* ideam nanciſcimur ea tantum animadvertendo, quæ intus in nobiſmet tranſiguntur, ubi experientia edocemur, nos per nudam volitionem, per cogitationem tantum animi, partes corporis, quæ prius quieſcebant, poſſe movere: adeo, ut nobis videamur ex notatione operationis corporum per ſenſus, potentiæ activæ non niſi imperfectam valde & obſcuram *ideam* adipiſci; quoniam haud in ſe exhibent nobis *ideam* quandam potentiæ actionem ordiendi, ſive motus ea ſit, ſive cogitatio. Si vero, ex corporum in ſe invicem impulſu, aliquis exiſtimet, ſe claram habere potentiæ *ideam*, illud ad rem noſtram ſatis erit, cum *ſenſatio* una ſit e modis, per quos animus ſuas nanciſcitur *ideas*; operæ tantum pretium cenſui, hic obiter perquirere, utrum animus *ideam Activæ Potentiæ* non clarius ex ſuarum operationum animadverſione, quam ex ſenſatione quavis externa recipiat.

§. V. Hoc ſaltem manifeſtum puto, nos in nobiſmet potentiam percipere incipiendi aut omittendi, continuandi aut finiendi varios animorum actus, aut motus corporum, per ſolam cogitationem, ut arbitrium mentis, hanc aut illam actionem ſingularem fieri, vel non fieri, præcipientis. Animi potentia hæc,

---

abſque dubio agit, & quamquam cauſa ipſius actionis nos lateat, veruntamen clare internoſcimus, illi actionem ineſſe. Et ope abſtractionis poſſumus quid nobis repræſentare quod corpus ingreſſum pariat effectum; hoc quid tanquam iners, & in ſe conſideratum poteſt ideam potentiæ agentis fortaſſe ſuppeditare, at, ut ait Lockius, non eam diſtincte percipimus. Adnotatur, quod ideam obſcuram pro confuſa hic ſumit, ut alibi adhuc adnotavimus (28. *tom.* 2.).

hæc, qua nos ſubigit *ideam* quandam contemplari, aut contemplatione iſta ſuperſedere; vel partis cujuſque corporis motum quieti ejus præferre, & *vice verſa* in quadam particulari inſtantia ea eſt, quam *Voluntatem* vocamus: cujus actuale exercitium, particularem quandam actionem imperando aut prohibendo nos *Volitionem* appellamus: ſuſpenſio aut exercitium actus iſtius, quod ejuſmodi imperium mentis conſequitur, dicitur *Voluntarium*: actio vero, quæ ſine tali mentis cogitatione fit, dicitur *Involuntaria*. Percipiendi potentia eſt, quam vocamus *Intellectum*, atque perceptio, quam intellectus actum eſſe dicimus, triplex eſt: 1. Perceptio *idearum* in animis noſtris. 2. Perceptio ſignificationis ſignorum. 3. Perceptio convenientiæ aut inconvenientiæ inter diſtinctas quaſdam *ideas*. Omnia hæc tribuuntur Intellectui, ſive potentiæ perceptivæ, quam nos in nobis ipſis ſentimus; etiamſi in communi & ſtricto ſermonis uſu, *actus intelligendi* duobus poſterioribus tantum tribuatur (10).

§. VI.

Facultates.

HÆ facultates animi, percipiendi nimirum, & unum præ alio eligendi, alio vulgo nomine ſignantur, & ex eo communi loquendi formula dicimus, Intellectum & Voluntatem duas eſſe *Facultates* animi, quæ vox ſatis idonea eſt, ſi ita uſurpetur, prout voces debent, ut nullam in cogitationibus pariat

---

(10) Nec aptiori, nec præciſiori modo dici poteſt eo, quod hic ait Lockius: attente perlege. Nos hac de re diſſerimus; quapropter vide meditationem noſtram, de voluntate ac libertate humana.

riat obſcuritatem, nec nos arbitremur (prout contigiſſe puto) eam ſupponi pro entibus realibus in animo, a quibus actus iſti intelligendi & volendi perficiuntur. Quando enim dicimus, voluntatem eſſe imperantem, & ſuperiorem animæ; eam eſſe, aut non eſſe liberam; eam facultates inferiores determinare; eam intellectus dictata ſequi, &c. etiamſi hæ & ſimiles locutiones, ab iis, qui diligenter ad *ideas* ſuas attendunt, & cogitationes rerum evidentia magis, quam verborum ſono dirigunt, claro & diſtincto ſenſu percipi poſſint, ſuſpicor tamen, inquam, modum hunc loquendi de facultatibus, in cauſa eſſe, cur multi in errorem inciderint, & confuſam hauſerint notionem tot in nobis diſtinctorum agentium, quibus peculiares ſuæ provinciæ & munera deſignata erant, quibuſque imperare, imperata facere, & perficere diverſos actus, pro ſuo cujuſque peculiari munere, moris erat; hinc in quæſtionibus ad eas ſpectantibus haud parum altercationum, obſcuritatis, & incertitudinis ortum eſt (11).

§. VII.

(11) Diximus (45. *tom.* 2.) quod ſæpe accidit, nos modos quoſdam ab animo ſibi repræſentatos ab ipſis entibus abſtrahere, quos paulatim tanquam realia & abſoluta entia ſupponimus, & nobis ut tales tandem repræſentamus, hoc multo facilius evenire poteſt in qualitatibus eſſentialibus, in quibus quid concipimus quod ſuum producit effectum. Admonet ergo Lockius, ne hic idem eveniat, ut complures fortaſſe credunt. *Voluntas*, & *intellectus* non ſunt entia realia, ſed tantum animæ proprietates, ut ita dicam, *ſoliditas* & *extenſio* ſunt corporis qualitates, hæc inſunt corpori. illæ animæ. Quænam ſit in eis differentia, & quo ſenſu hæc comparatio intelligi debeat, in meditatione enodavimus.

§. VII.

Libertatis & neceſſitatis ideæ.

UNuſquiſque, arbitror, in ſemet potentiam perſentit ordiendi aut omittendi, ulterius protrahendi aut concludendi actiones plurimas. Ex conſideratione extenſionis potentiæ iſtius animi in actiones humanas, quam in ſe unuſquiſque experitur, *Libertatis* & *Neceſſitatis ideæ oriuntur.*

§. VIII.

Libertas, quid?

CUm actiones omnes, quarum *ideam* aliquam habemus, reducantur, ut ſuperius dictum eſt, ad duas haſce, *Cogitationem* & *Motum*, quatenus quis potentiam habet cogitandi vel non cogitandi, movendi vel non movendi, pro electione aut directione mentis ſuæ, eatenus liber eſt. Ubicunque agere & non agere haud æque ſunt in poteſtate mentis, nec arbitrium ejus ſequuntur, ibi homo haud liber eſt, etiamſi fortaſſe actio ſit voluntaria (12). Adeo ut idea

(12) Debet hic adnotari *haud liber eſt*, *etiamſi fortaſſe actio ſit voluntaria*. Dictum eſt ab Auctore (§. *V. hujus capitis*), quod *voluntarium* dicitur exercitium vel ſuſpenſio actus voluntatis, quo imperatur aliqua actio, vel prohibetur. Differt ergo libere agere, a volontarie agere, ratione principii, quo anima ad agendum determinatur. Multoties nos voluntarie agimus, ſed non libere. Exemplum afferam, & omnia explanabimus. Homo capitis damnatus propriis viribus ad patibulum ſe ducit, & illud aſcendit. Motus omnes ab eo confecti, quot quot ſint, voluntarii ſunt, aliter alienis viribus duceretur, verum non liberi; dicitur ergo hujus hominis actus voluntarius, non liber. Ad hoc pertinet quod dicebant veteres: *Voluntas non poteſt cogi quoad actus elicitos, non quoad actus imperatos.*

idea libertatis ſit *idea* potentiæ in quodam agente agendi vel non agendi, juxta determinationem, ſive cogitationem mentis, per quam alterutrum illorum alteri præfertur. Ubi haud eſt penes agentem, utrumvis, pro *velle* ſuo, producere, ibi non eſt *liber*, verum ex *neceſſitate* agit. Quapropter libertas nequit ibi eſſe, ubi nulla eſt cogitatio, nulla volitio, nulla voluntas; poteſt vero cogitatio, voluntas, aut volitio eſſe, ubi nulla eſt libertas. Unius & alterius exempli familiaris conſideratio hoc clarum reddet.

§. IX.

Libertas Intellectus & Voluntatis actum ſupponit.

Pila, qua in Sphæriſterio luditur, ſive per reticuli ictum moveatur, ſive quieſcat, *agens* eſſe *liberum* a nemine creditur. Si rationem perquiramus, ideo nimirum eſt, quod non putemus, pilam iſtam luſoriam cogitare, & conſequenter haud velle aliquid, nec motum quieti anteferre, aut *vice verſa*, verum motum iſtius & quietem omnem, ſub *idea* noſtra neceſſario contineri, atque ita appellari. Homo etiam (ponte ſubito corruente) in aquam cadens, haud libertatem habet, nec agens eſt liberum. Etiamſi enim volitione præditus eſt, etiamſi mallet non cadere quam decidere; quoniam vero haud penes eſt ipſum, motum iſtum morari, ſuſpenſio aut impeditio motus iſtius haud volitionem iſtam ſequitur; atque ideo haud in eo caſu liber eſt. Similiter cum convulſio brachii motu ſibimet aut alteri plagam infligit, a qua nec per volitionem (13), nec per mentis

---

(13) Hoc eſt exercitium actus voluntatis. Ut ſi conetur brachium ad oppoſitum detinere.

tis directionem quandam, abſtinere poteſt, nemo putat eum in hoc caſu *libere* agere; nemo non vicem illius dolet, utpote ex neceſſitate agentis.

§. X.

Libertas non ad volitionem pertinet.

DEinde ſupponamus aliquem profundo ſomno correptum ſe ferri in cubiculum, in quo vir eſt, cujus conſuetudine conſpectuque libenter frui vellet, eumque foribus obſignatis ita concluſum teneri, ut penes ipſum non ſit exire; poſtea ſolutus ſomno gaudet ſe in optatum adeo ſodalem incidiſſe, cum eo diutius moratur, *i. e.* manere, quam diſcedere præoptat; rogo, annon iſta commoratio voluntaria eſt? nemo, arbitror, dubitare poteſt, & tamen, cum fores occludantur, palam eſt, haud eſſe in ipſius poteſtate, non manere, nec ipſi liberum eſſe, exire. Quapropter *libertas* haud *idea* eſt ad volitionem ſpectans aut electionem; verum ad hominem, qui poteſt agere, vel non agere juxta electionem aut directionem mentis (14). *Idea* noſtra libertatis ad eam uſque potentiam, & non ulterius extenditur. Ubi enim coercitio potentiam iſtam refrænat, aut tollit indifferentiam ad agendum, vel non agendum, ibi libertas, & notio iſtius, quam habemus, ſtatim evaneſcit.

§. XI.

---

(14) En ratio, qua dicitur, ad actionem liberam requiri. I. *contingentiam*. II. *intelligentiam*.

§. XI.

Voluntarium quidem involuntario, non vero neceſſario opponitur.

ABunde exemplorum, & ſæpiſſime plus ſatis habemus in corporibus noſtris. Pulſu agitatur cor, & ſanguis circulos ſuos conficit, nec poteſt homo cogitatione aut volitione quavis curſum ejus morari: horum itaque motuum reſpectu, ubi quies haud ab arbitrio ejus pendet, nec mentis determinationem ſequeretur, etiamſi præ motu eam eligeret, haud ille liberum eſt agens. Motus convulſivi crura ejus agitant; adeo ut, etiamſi lubentiſſime *vellet*, nequeat; vel omni animi contentione, motum illorum cohibere, (quemadmodum in mirando iſto morbo, qui *Chorea Sancti Viti* dicitur) verum ſaltando ſemet perpetuo exercet: haud liber eſt in iſta actione, verum æque neceſſario movetur, ac lapis decidens, aut pila palmaria reticuli pulſu agitata. E contrario, paralyſis aut numella crura impedit, ne mentis determinationi obſequantur, ſi illorum adminiculo corpus in alium locum transferre cupit. In omnibus hiſce deeſt libertas, etiamſi vel paralytici ſeſſio, dum corporis translationi eam anteponit, vere voluntaria eſt. *Voluntarium* itaque haud *neceſſario opponitur*; verum *involuntario*. Poteſt enim homo illud, quod penes eſt ipſum, iſti, quod non eſt; & ſtatum, quo utitur, abſentiæ illius aut mutationi, anteponere, etiamſi efficit neceſſitas, ut ea in ſe immutabilis ſit.

§. XII.

§. XII.

Libertas quid?

UT in motibus corporum, ita fit in cogitationibus animorum noſtrorum; ubicunque quædam cogitatio ita ſe habet, ut eam pro lubitu admittere vel aſpernari poſſumus, ibi *liberi* ſumus. Vigilanti, cujus animo *ideæ* aliquæ neceſſario ſemper obverſantur, haud magis liberum eſt cogitare, vel non cogitare, quam integrum eſt ipſi eligere, utrum corpore ſuo aliud quoddam contingere velit, nec ne (15): utrum vero aciem mentis ab una idea ad aliam transferre velit, ſæpiſſime in electione ſua ſitum eſt; & tunc *idearum* reſpectu æque liber eſt, ac eſt reſpectu corporum, quibus innititur; poteſt ſe pro lubitu ab uno ad aliud transferre (16). Nonnullæ tamen *ideæ* ita ſe habent ad mentem, ut motus quidam ad corpus; tales nimirum ſunt, quales ipſa, poſitis quibuſdam circumſtantiis, nequit effugere, nec quavis contentione efficere, ut iis careamus (17). Haud liberum eſt illi, qui equuleo torquetur, cruciatus ideam deponere, animumque aliis contemplationibus recreare; & nonnumquam violentum animi pathema non ſecus ac turbines in corpora, agit in ſpiritum, & liberam nobis non permittit rerum aliarum cogitationem, quam præoptaremus (18); quamprimum vero

---

(15) *Cogitatio* eſt actus mentis in percipiendo notas objectorum ſibi præſentium (1. *tom.* 2.); an ſit penes ſe hunc perceptionis actum omittere, magnæ quæſtionis cenſeo.

(16) Hic mentis actus labendi ab una ad aliam ideam, & novas adipiſcendi, negligi poteſt, & in integrum omitti.

(17) En ratio, qua in moralibus culpa carent.

(18) Animus in perceptione activus eſt (4 *tom.* 2.), & eas quodam modo poteſt effugere, vel excitare; non alia ratione vide-

vero mens potentiam recuperat morandi aut continuandi, incipiendi aut remittendi quoſdam e motibus iſtis externis corporis, aut internis animi, prout viſum fuerit ipſi unum alteri anteferre, tunc denuo hominem contemplamur tanquam *agentem libere*.

§. XIII.

Neceſſitas, quid?

UBicunque cogitatio, aut potentia agendi vel non agendi juxta cogitationis præſcriptum, penitus deeſt, ibi *Neceſſitas* locum habet. Quando hæc neceſſitas eſt in agente, volitionis capace, & origo aut continuatio cujuſdam actionis iſti mentis electioni contraria eſt, *Coactio* dicitur (19); quando impeditio aut retardatio, alicujus actionis eſt ejus volitioni contraria, *Cohibitio* vocatur. Quæ nullam cogitationem, nullam omnino volitionem habent (20), agentia prorſus naturalia ſunt.

§. XIV.

---

demus, nonnullos præ aliis eſſe paſſionibus obnoxios, ex eo quia nunquam ad eas temperandas, ſuam adhibuerunt facultatem. Non eſt dicendum interim, quod omnia a voluntate pendeant, nam erroneum eſſet, organa laceſſita ſibi animam quodam modo advocare, & ſuam figere attentionem; quapropter tum oritur lucta inter animi voluntatem, & animi coactionem. Quid per hanc intelligatur, modo explanabitur.

(19) Vides ergo, quod anima cauta in ſua videndo, currit ad mutationem ſui organi ſenſorii & eam percipit. Mutatio arctat animam ad perceptionem, etſi multoties nollet, mutationem percipere, eam vi propria percipit.

(20) Ut ſi membrum quoddam ſit paralyſi affectum, imperium animæ non ſentiat, vel ſi mens accidentalibus perceptionibus impedita nequeat de quo vellet cogitare.

§. XIV.

Libertas non ad voluntatem pertinet.

SI res ita ſe habet (prout ſe habere arbitror) velim homines conſiderent, annon omnes tollat controverſias ſuper ea, quæ diu in diſceptatione verſata eſt, quæque mihi propterea videtur abſurda, quod non ſit intelligibilis, quæſtione, *utrum* nimirum *voluntas humana libera ſit*, *nec ne* (*)? ni fallor enim, ab iis ſequitur, quæ dixi, quæſtionem ipſam valde abſonam eſſe: haud minus quippe abſurdum eſt rogare, utrum voluntas humana ſit libera, quam utrum ſomnus ejus ſit celer, aut virtus quadrata? quoniam libertas haud rectius voluntati tribuitur, quam motus celeritas ſomno, aut τὸ quadrum eſſe virtuti; hujuſmodi quæſtionum ineptias nemo non riſu ideo exciperet, quod palam ſit, motus modificationes haud pertinere ad ſomnum, neque figurarum diverſitatem ad virtutem; & cum quis rem attente conſideraverit, haud minus puto, perſpicuum erit, libertatem, quæ potentia eſt tantum, agentium tantummodo propriam eſſe, & non poſſe attributum eſſe ſive modificationem voluntatis, quæ mera potentia eſt.

§. XV.

Volitio.

EA eſt difficultas actiones internas explicandi, & notiones illarum perſpicuas reddendi per ſonos, ut neceſſario lector ſit monendus, vocabula *præſcribere*, *dirigere*, *eligere*, *præferre*, &c. quæ a me uſurpata

(*) En prima quæſtio, quam hic agitat Lockius.

pata ſunt, haud diſtincte ſatis *volitionem* exprimere; niſi ea velit animadvertere, quæ tunc ipſe facit, quando vult. Exempli gratia, *τὸ præferre*, quod optime omnium videtur *volitionis* actum exprimere, haud accurate illud facit: etiamſi enim homo volatum ambulationi præferret, quis tamen dixerit, ſe unquam velle iſtum? *Volitio* plane eſt *actus animi ſcienter aſſerentis dominium illud, quod ſe habere putat in partem aliquam hominis, dum circa particularem aliquam actionem verſatur, aut ab ea cohibetur*. Et quid aliud eſt *voluntas*, niſi facultas illud agendi? num vero facultas iſta quid aliud eſt, præter potentiam, mentis nimirum potentiam cogitationes ſuas determinandi ad productionem, continuationem, & impeditionem actionis cujuſdam, quantum a nobis pendet? numquid enim negari poteſt agens omne, quod poteſtatem habet actiones ſuas mente complectendi, quodque pro lubitu ſuo agere poteſt vel non agere, præditum eſſe facultate ea, quam *voluntatem* appellamus? *Voluntas* itaque nihil aliud eſt præter ejuſmodi potentiam; *Libertas*, contra, potentia eſt, quam quis habet ad particulare aliquid agendum vel non agendum, prout agere vel non agere menti videbitur eligibilius, quod perinde eſt, ac dicere, prout ipſe *vult* (21).

§. XVI.

---

(21) Si recte video, non ſatis diſtinguitur hic actus *libertatis a volitione*. *Volitio*, inquit, *eſt actus animi, qui dominium ſcienter exercet &c.* & libertas *potentia, quam quis ad agendum vel non agendum habet*. Ecquid aliud ſonat animi dominium ſcienter exercere, quam actus iſtius potentiæ? Mihi videtur, ille diſtinguere voluntatem a volitione, ut vim motricem a motu: illa eſt potentia ad motum, hic actus; & actum libertatis a volitione, ut actum ad plura applicitum ab actu in generale. Sed melius explanabitur infra.

§. XVI.

Potentia ſunt agentium.

PErſpicuum itaque eſt, Voluntatem nihil aliud eſſe præter unam potentiam aut facultatem; & Libertatem nihil aliud præter potentiam aut facultatem alteram: adeo ut, rogare, utrum voluntas habeat *libertatem*, idem ſit, ac rogare, utrum potentia una alteram habeat potentiam, & una habilitas habilitatem alteram (22)? quæſtio hæc primo intuitu abſurdior eſt, quam ut veniat in controverſiam, aut aliquid iſti reponatur. Quis enim eſt, qui non videat, *potentias* agentium tantum proprias eſſe, & *attributa eſſe ſubſtantiarum tantum*, *& non potentiarum* ipſarum? adeo ut hoc modo quæſtionem proponere, nimirum utrum voluntas ſit libera, re quidem vera ſit, rogare, utrum voluntas ſit ſubſtantia, vel agens? aut ſaltem illud ſupponere; quoniam libertas proprie haud rei alteri, quam agenti, tribui poteſt (*). Si

B 2 li-

(22) Tum eſſet modificatio ipſius potentiæ.

(*) Hæc quæſtio inepta eſt profecto, ſi *voluntatis*, ac *libertatis* vocabula juxta Auctoris definitionem ſumantur. At ii, qui de hoc diſceptant, communiter pro voluntante intelligunt ipſam animam, & credunt quærere, an anima ſit libera nec ne. Nimirum an habeat potentiam ſe ipſam determinandi & in conſequentia ſuæ determinationis operari. Hoc ſenſu non eſt ſane inepta, ſed male expoſita. De hoc videantur ſequentes quæſtiones (**) *SUAVE*.

(**) Malebranchius definit voluntatem „ per quid nobis inſitum, vel per impreſſionem, motum, qui ad bonum determinatum, ac generale nos ducit „ (*V. de la Recher. de la ver. lib.* 1. *cap.* 1.) Si valet hæc definitio, poteſt expoſci, an hoc inſitum poſſit nec ne ſuſpendi, per conſequens an anima habeat potentiam eligendi negativum, vel poſitivum iſtius conatus, qui ad bonum in genenarale eam fert. Forſan ex hoc erui-

libertas proprie potentiæ competit, iſti potentiæ tribui poteſt, quæ eſt in homine, ad producendum aut non producendum motum in partibus corporis per electionem ſuam, atque hoc vere illum denominat *liberum*, atque ipſa *Libertas* eſt. Si quis vero rogaret, utrum libertas ſit libera, hoc plane ineptire eſſet; atque is *Midæ* auribus dignus videretur, qui comperto, quod *opulentus* denominatio ſit ab opibus ſumpta, ſciſcitaretur, utrum opes ipſæ ſint opulentiæ?

§. XVII. Utcunque nomen *Facultas*, quod homines huic potentiæ impoſuerunt, quæ *Voluntas* dicitur, & proinde eam, tanquam agentem, ſpectarunt, abſurditatem obtegere videatur; revera tamen *voluntas* nihil aliud ſignificat, præter potentiam, unum præ alio eligendi; cumque ſpectatur, prout revera eſt, tanquam nuda potentia ad aliquid agendum, abſurditas ſtatim apparebit, cum dicet quis, eam liberam eſſe, vel non liberam. Si rationi enim conſentaneum eſt, de facultatibus loqui, tanquam agentibus diſtinctis, quæ poſſunt agere, (prout nos facimus, quando dicimus, voluntatem imperare, voluntatem liberam eſſe) conſentaneum æque erit, ſermocinandi, ambulandi & ſaltandi facultates conſtituere, a quibus actiones iſtæ producuntur, quæ modi tantum diverſi ſunt motus; ac voluntatem & intellectum, a quibus eligendi & percipiendi actus producuntur, qui diverſi tantum modi ſunt cogitandi, *facultates* appellare: & proprie dici æque poteſt canendi facultas, quæ canit, &

---

eruitur quod in moralibus dicitur *abnegatio propriæ voluntatis*, verum improprie; deſtrueretur enim ipſa moralis. Nos moraliter agimus, ſi in conſequentia noſtri boni agimus, ergo abnegare voluntatem, eſt agere contra bonum ipſum, per conſequens contra moralem. Hac de re *V. meditationem noſtram de pulchritudine pag.* 116. *tom.* 1.

& ſaltandi facultas, quæ ſaltat, ac voluntas, quæ eligit, aut intellectus, qui concipit, vel prout vulgo dicitur, voluntatem dirigere intellectum, aut intellectum *voluntati* morem gerere, vel non gerere: haud magis enim abſurdum foret dicere, facultatem loquendi dirigere facultatem canendi, aut facultatem canendi facultatis loquendi imperio obſequi, vel non obſequi.

§. XVIII. Hæc tamen formula loquendi abiit in conſuetudinem, & magna ex ea confuſio, ut opinor, orta eſt; cùm enim iſtæ diverſæ ſint potentiæ in mente aut in homine, ad actus diverſos, eas pro lubitu exercet; potentia vero quendam actum exercendi haud agit in potentiam alium actum exercendi. Cogitandi enim potentia haud magis operatur in potentiam eligendi, neque potentia eligendi in potentiam cogitandi, quam ſaltandi potentia agit in potentiam canendi, aut potentia canendi in potentiam ſaltandi, prout cuivis palam erit, qui rem iſtam conſideraverit: illud vero eſt, quod dicimus, quando ejuſmodi loquendi utimur formula, aſſerentes *Voluntatem agere in Intellectum, aut Intellectum in Voluntatem.*

§. XIX. Fateor equidem, hanc aut illam cogitationem actualem poſſe anſam præbere *Volitioni*, aut exercitio potentiæ electivæ, qua quis præditus eſt: aut actualem mentis electionem poſſe in cauſa eſſe, cur de hac vel illa re actu cogitemus: prout vocis modulatio ad certos quoſdam numeros certæ cuidam ſaltationi, & talis ſaltationis exercitium certo cuidam vocis modulamini anſam præbere poſſit. In hiſce vero caſibus, haud una *potentia* in alteram agit; *potentiæ* enim relationes ſunt non agentes: verum animus eſt aut homo, qui operatur, & potentias iſtas exercet; ſolus agit illud, quod poteſt agere. *Quod potentiam* habet, *aut non habet ad agendum, illud unice liberum eſt, aut non liberum*; ac non potentia ipſa: Libertas enim, aut Libertatis defectus, ad il-

lud tantum attinet, quod potentiam habet ad agendum, aut non habet (23).

§. XX.

Libertas haud ad voluntatem attinet.

Formula hæc loquendi inde orta eſt, quod *facultatibus* ea tribuimus, quæ neutiquam ad eas pertinent: ex eo vero, quod, de mente agentes, nos, una cum *facultatum* nomine, operationum iſtarum notionem introduximus, haud ſcientiam noſtram, arbitror, quod ad partem iſtam noſtri attinet, magis auximus, quam uſus & mentio frequens ſimilis inventionis *facultatum*, in corporis operationibus, nobis in arte medendi uſui fuit (24). Non hæc perinde loquor, quaſi negarem, eſſe facultates in corpore & mente: utrumque potentiam habet ad agendum, alioquin haud operari poſſent; nihil enim agit, quod non poteſt agere; atque illud non poteſt agere, quod non habet *facultatem* agendi. Neque inficior, voces iſtas & ſimiles ejus generis poſſe in communi ſermonis uſu habere locum, e quo vim ſuam mutuantur. Nimiæ videretur affectationis, eas funditus repudiare: & Philoſophia ipſa, etiamſi apparatu magnifico haud capitur; quando tamen prodit in publicum, adeo urbana eſſe debet, ut, quantum veritas & perſpicuitas patietur, eo, qui in patriis eſt moribus, orationis veſtitu utatur. In hoc vero erratum eſt, quod de facultatibus perinde locuti ſunt, ac ſi agentia eſſent diſtincta. Rogantibus enim, quomodo cibus in ſtomachis noſtris coquatur? reſpondere ſatis habuerunt, *a facultate concoctrice*: quidnam effecit, ut quippiam

---

(23) *V. adn.* 12.

(24) Ut ſunt facultates vitales, & facultates naturales.

piam eſſet e corpore egeſtum? *facultas expulſiva*: quidnam motum efficit? *facultas motiva*: atque in mente *facultas intellectiva*, ſive *Intellectus*, intellexit; & *facultas electiva*, ſive *Voluntas*, voluit aut imperavit: quod perinde eſt, ac ſi dicerent, facultatem concoctricem concoquere: motivam movere; atque intellectivam intelligere: *facultas* enim *habilitas*, & *potentia*, puto, diverſa tantum ſunt nomina rerum earundem: quæ loquendi formulæ, cum vocibus clarioribus traduntur, non aliud ſignificabunt, quam concoctionem ab aliquo fieri, quod concoquere; motum ab aliquo, quod movere; & intelligentiam ab aliquo, quod intelligere poteſt. Secus ſi res foret, magnam moveret admirationem; haud minorem equidem ſi homo liber eſſet ſine potentia libera (25).

§. XXI.

Libertas pertinet unice ad agentem ſive ad hominem.

UT ad illud redeamus, quod in diſquiſitione poſitum eſt, circa Libertatem, *haud quærendum eſt*, arbitror, *utrum Voluntas ſit libera*, *verum utrum homo ſit liber*? hoc modo puto.

1. Hominem, quatenus per directionem ſive electionem mentis, anteferentis exiſtentiam unius actionis, non exiſtentiæ ejuſdem actionis, & *vice verſa*, efficere poteſt, ut exiſtat, vel non exiſtat; eatenus *liberum* eſſe: ſi enim ipſemet cogitationis adminicu-

 lo,

(25) Quot homines his repetitis vocibus ſe decipiunt? quot ſunt, qui his vocabulis expleti multa ſcire credunt, quando nihil ſapiunt? Quot ſunt demum, qui aliis videntur præcellere in ſcientiis pertractandis, non alia ratione, quam his confuſis mirificiſque vocibus, quibus ſæpeſæpius utuntur?

lo; motum digiti mei dirigentis, poſſim ipſi prius quieſcenti motum dare, aut *vice verſa*, perſpicuum eſt, me iſtius reſpectu, liberum eſſe: & ſi, per ſimilem cogitationem mentis, unum alteri præferentis, voces, aut ſilentium producere poſſim, mihi loqui, aut tacere liberum erit: & *in quantum potentia hæc extenditur, agendi vel non agendi, ex cogitationis ſuæ determinatione utrumlibet ante habentis, in tantum homo liber eſt*. Quomodo enim quempiam liberum eſſe magis credere poſſumus, quam ſi poteſtatem habeat, id agendi, quod ipſi viſum fuerit? & quatenus quiſpiam, actionem aliquam non exiſtentiæ ejus aut quietem cuidam actioni anteferendo, actionem aut quietem iſtam producere poteſt, eatenus, quod viſum fuerit, agere poteſt: actionem enim particularem abſentiæ ejus eo modo anteferre, eſt actionem *velle*: & vix concipere poſſumus, quomodo *ens* quoddam eſſet magis liberum, quam ſi habet potentiam agendi, quod *vult*: quapropter actionum reſpectu, quæ intra ejuſmodi poteſtatis ambitum in eo continentur, homo adeo liber eſſe videtur, ac libertas ipſum efficere poteſt.

§. XXII.

Voluntatis reſpectu homo non eſt liber.

CUrioſo autem hominis animo, qui conſcientiæ & ſceleris reatum omnem longiſſime a ſe removere ſtudet, etiamſi eo pacto conditionem ſuam deteriorem efficiat, quam ſi fatali neceſſitate regeretur, hoc fatis neutiquam facit; hoc, niſi ulterius progrediatur, libertatem eſſe negat: verum dicere in promptu habet, hominem, niſi æque liber ſit ad volendum, ac eſt ad agendum id quod vult, haud omnino liberum eſſe. Circa hominis itaque libertatem ulterior hæc quæſtio oritur, *utrum homo liber ſit ſecundum*

dum volitionem? atque hoc, puto, illud eſt, quod verſatur in controverſia, cum quæritur, *utrum voluntas ſit libera, nec ne?* quod ad hoc attinet, puto.

§. XXIII. 2. Quod cum *Volitio*, aut *Electio* ſint actus, & Libertas conſiſtat in potentia agendi, aut non agendi, *homo ſecundum volitionem cujuſdam actionis particularis, quæ in poteſtate ipſius eſt, cum menti ſemel fuit propoſita, liber eſſe nequit*. Ratio patet: cum neceſſe enim ſit, ut actio, a *Voluntate* ejus pendens, exiſtat, aut non exiſtat; cumque exiſtentia ejus, aut non exiſtentia voluntatis determinationem, aut electionem plane ſequatur, non poteſt non velle actionis iſtius exiſtentiam aut non exiſtentiam; tenetur neceſſario horum alterutrum *velle*, i. e. unum alteri *anteferre*: quoniam neceſſe eſt, ut unum illorum ſequatur, & quod ſequitur, ex electione & determinatione animi fit; *i. e.* ex *volitione* ejus; niſi enim id *vellet*, haud omnino exiſteret. Actus itaque *volendi* reſpectu, homo non eſt liber: Libertas enim conſiſtit in poteſtate agendi, vel non agendi, qua, reſpectu *Volitionis* (*), homo non eſt præditus (26): fieri enim non poteſt, quin (cum de actione quadam, quam in poteſtate ſua habet, ſemel cogitaverit) agere vel non agere, neceſſario eligat, ex qua ele-

(*) Quid Auctor noſter per Volitionem & Voluntatem intelligere velit, menti noſtræ ſemper obverſetur neceſſe eſt. niſi dictorum ſenſum ignorare malimus. Conf. ſupra §. 5. & §. 15.

(26) Quod hic ait Lockius valde acutum eſt, nos illud explanabimus. Diſtinguit Auctor *volitionem* a *voluntate*, quatenus hæc eſt potentia, illa actus. Illa ergo ſupponit complementum poſſibilitatis, & definit eſſe in potentia (127 129. *tom.* 1.) iſta tantum facultatem actum producendi vel non producendi; vides ergo, quod veniente actu deſinit facultas, nec eſt penes mentem conficere vel non conficere quod jam fuit confectum, per conſequens cum libertas non ſit quam potentia eumdem actum conficiendi juxta proprias determinationes, vel ut Auctor ait (§ 15. *hujus cap.*), *prout videbitur eligibilius*, hic non habet locum.

electione, actus aut illius ſuſpenſio certo conſequitur, & vere voluntarius eſt. Sed actus volendi aut alterum alteri præferendi, cum res ſit, quæ evitari non poteſt, hujus actionis reſpectu neceſſitas eſt, & conſequenter non poteſt hoc reſpectu eſſe liber; quia neceſſitas & Libertas ſimul ſtare non poſſunt, & homo non poteſt eſſe liber ſimul & adſtrictus. Quapropter ut homo in hoc ſenſu liber ſit, neceſſe eſt, ut alia ſit *voluntas* antecedens, ad hujus voluntatis actus determinandos, atque alia ad eam determinandam, & ſic *in infinitum*: ubicunque enim gradum ſiſtemus, ultimæ voluntatis actus non poſſunt eſſe liberi: neque eſt ens aliquod, quantum ego de iis, quæ ſupra me ſunt, entibus conjectare poſſum, ea *voluntatis* libertate præditum, ut poſſit non *velle*, i. e. non præferre exiſtentiam, aut non exiſtentiam rei cujuſdam, quam in poteſtate habet, cum ſemel animum ad eam applicuerit.

§. XXIV. Hoc itaque manifeſtum eſt, *homini non eſſe liberum velle, aut non velle rem quampiam, in poteſtate ſua poſitam, ad cujus conſiderationem animum ſemel adjecit*: cum Libertas in poteſtate agendi, aut non agendi, eaque ſola, conſiſtat. Homo enim ſedens liber eſſe dicitur, quoniam poteſt ambulare, ſi modo *vult*. Ambulans etiam eo reſpectu liber eſt: non quia ambulat, aut loco ſe movet; verum quia poteſt ſubſiſtere, ſi *vult*. Si vero ſede requieſcens non poteſt ſe loco movere, non eſt liber: nec ille, qui ex ſuperiori loco præceps fertur, etiamſi in motu eſt, libertatem habet, quoniam, etiamſi vellet, haud motum iſtum remorari poteſt: ambulanti vero, cui propoſitum eſt, ut ambulare deſineret, haud liberum eſt, utrum velit, nec ne: neceſſe eſt, ut horum alterutrum, ambulare vel non ambulare, alteri antehabeat: atque ita ſe res habet aliis in actionibus, quæ iſtæ ſunt in noſtra poteſtate; cum ſemel proponuntur, haud penes eſt mentem age-

agere vel non agere, atque in hoc Libertas conſiſtit: haud poteſtatem habet *Volitionem* cohibendi, nequit non ſe aliquo modo determinare, utcunque brevis ſit iſta conſideratio; cogitatio celeris, aut hominem in eo ſtatu relinquit, in quo erat ante cogitationem, aut eum immutat; actionem continuat, aut finem iſti imponit: unde patet mentem præcipere & dirigere unum, adeo ut poſtponatur, aut negligatur alterum, atque hinc fit, ut vel continuatio aut immutatio neceſſario ſit voluntaria.

§. XXV.

Voluntas ab aliquo determinatur, quod extra eſt.

QUoniam itaque perſpicuum eſt, haud liberum eſſe homini *velle*, aut non *velle*; (quando enim actio, quam in poteſtate habet, menti proponitur, nequit volitionem continere, verum ad alterutrum ſe determinet neceſſe eſt); proxime quærendum eſt, *utrum homo libertatem habeat volendi*, *utrum duorum velit*, *motumne an quietem*. Quæſtio hæc primo intuitu plane abſurda eſt, adeo ut ea nos convincere debeat, libertatem neutiquam ad voluntatem pertinere. Rogare enim, utrum homini ſit liberum, *velle* motum, aut quietem; locutionem, aut ſilentium, prout ipſi viſum fuerit; eſt interrogare, utrum poſſit homo illud *velle*, quod *vult*; aut delectari eo, quo delectatur? Huic quæſtioni reſpondere ſupervacaneum eſt: atqui illi, qui de hac re quærunt, coguntur neceſſario voluntatem unam ſupponere ad alterius actus, atque alteram ad actus iſtius determinandos; atque *in infinitum*. De hac vero abſurditate ſatis ante dictum eſt (*).

§. XXVI.

(*) Conf. hujus Cap. §. 23.

§. XXVI. Quo melius hæc, atque alia hujuſmodi abſurda devitemus, nihil utilius erit, quam ut, rerum, quas contemplamur, claras ſtabileſque notiones in animis formemus: ſi *Libertatis*, & *Volitionis ideæ* in intellectibus noſtris penitus eſſent defixæ; ſi nos animis eas, prout fas eſt, per quæſtiones omnes ferremus, quæ ſuper iis moventur, magna pars difficultatum, arbitror, quæ cogitationes hominum torquent, & quibus intellectus illorum implicantur, faciliorem longe explicationem haberent; & nobis perſpicuum foret, ubinam confuſa terminorum ſignificatio, aut rei ipſius natura obſcuritatem pepererit.

§. XXVII. *Primo* itaque, memoria caute tenendum eſt, *Libertatem conſiſtere in dependentia exiſtentiæ, aut non exiſtentiæ actionis cujuſdam, ex noſtra volitione iſtius, & non in dependentia cujuſdam actionis, aut illius, quod contrarium eſt, ex eo quod nos unum alteri præferamus*. Homini in clivio ſtanti liberum eſt viginti ulnas deorſum in mare deſilire; non quia poteſtatem habet contrarium agendi, quod eſt viginti ulnas ſurſum verſus reſilire; id enim efficere nequit: idcirco vero liber eſt, quia penes eſt ipſum ſalire, aut non ſalire. Sin vero a majori vi, quam ipſemet habet, vel detineatur ibi, aut præceps agatur, haud in eo caſu liber eſt: quoniam haud in illius poteſtate eſt, particularem iſtum actum exercere, eumve pro lubitu omittere. Qui arcta cuſtodia coercetur in camera quadrata viginti pedes longa, cum ad boreales latus ſtat, libertatem habet viginti pedes auſtrum verſus ambulandi; quoniam ambulare, vel non ambulare poteſt: haud vero liberum eſt ipſi eodem tempore contrarium agere; *i.e.* viginti pedes verſus ſeptentrionem ambulare (27).

In hoc itaque *Libertas* conſiſtit, quod nimirum age-

(27) *V. adn.* 12.

agere, vel non agere poſſumus, prout nobis viſum fuerit eligere, aut velle.

§. XXVIII.

Volitio, quid?

SEcundo, memoria tenendum eſt, *Volitionem* eſſe actum mentis, quæ dirigit cogitationem ſuam ad cujuſdam actionis productionem, & ita exerit poteſtatem ſuam ad eam producendam. Ad vocum multitudinem evitandam, fas mihi ſit, ſub voce *Actione* ceſſationem etiam a quadam actione complecti, *requieſcere*, aut *tacere*, cum *ambulatio* aut *locutio* proponitur; etiamſi meræ ſint ceſſationes, cum voluntatis determinationem haud minus poſtulent, & ſæpiſſime haud minoris ſint momenti, quam actiones contrariæ, eo reſpectu, in actionum numero haberi jure optimo merentur; hoc autem dico, ne quempiam in errorem ducam, ſi brevitatis gratia hac loquendi formula utar.

§. XXIX.

Quidnam voluntatem determinet.

TErtio, cum *voluntas* nihil aliud ſit, quam potentia in mente, ad operativas hominis facultates, ad motum aut quietem, dirigendas, quatenus ejuſmodi directione, nituntur; Quæſtioni huic: quidnam voluntatem determinat? vere & proprie reſpondetur, *Mens* (*). Quod enim generalem potentiam directivam, ad hanc aut illam particularem directionem determinat, nihil aliud eſt, præter agens ipſum, quod

(*) En ſecunda quæſtio.

quod potentiam, quam habet, modo iſto peculiari, exercet. Si reſponſio hæc haud ſatis hominibus facit, hujus quæſtionis; *quidnam voluntatem determinat?* ſenſus plane hic eſt: quidnam movet mentem, in unaquaque particulari occaſione, ut generalem ſuam potentiam directivam, ad hunc aut illum particularem motum aut quietem determinet (28)? Ad hoc reſpondeo, incitamentum ejuſdem ſtatus aut actionis conſervandæ eſſe præſentem tantummodo oblectationem, quæ percipitur; mutationis vero incitamentum eſſe difficultatem, qua conflictamur: nihil enim nos ad ſtatum noſtrum immutandum, aut novum aliquod aggrediendum impellit, præter moleſtiam (*), quam animo ex incommodis capimus. Hæc præcipue mentem ad agendum incitat, eamque, compendio ſtudentes, *voluntatis determinationem* vocabimus; de hac vero fuſius poſt dicemus.

§. XXX.

Voluntas & deſiderium haud inter ſe confundi debent.

ANte vero, quam hujus tractationem rei ingrediamur, præmittendum eſt, quod, etiamſi ſuperius conatus fuerim *volitionis* actum, per *electionem*, *prælationem*, & ſimiles terminos exprimere, qui *deſiderium* æque ac *volitionem* ſignificant, idque ex vocum defectu ad actum iſtum mentis ſignandum, qui

(28) Aptior expoſitio.

(*) Auctor in vernacula ſua utitur voce *Uneaſineſs*, cujus vim neque Gallus, vocabulo *Inquietude*, neque noſtra verſio, vocabulo *Moleſtia* vel *Anxietas*, recte ſatis aſſequi poteſt. Vide ſis quæ de hoc ſupra commentati ſumus, Cap. XX. § 6. Hujus enim vocis bene percepta emphaſis multum ad hujus Capitis poſteriora rite intelligenda facere poteſt. *COSTE.*

qui proprie *volitio* dicitur: cum tamen actus ſit valde ſimplex, quid ſit, quiſquis ſcire, concupiſcat, melius illud perdiſcet in mentem ſuam introſpiciendo, & quid tunc agat, quando *vult*, animadvertendo, quam per omnem ſonorum articulatorum varietatem, qua illud efferre connitimur. Admonitionem hanc, ut præcaveamus, ne locutionibus in errorem trahamur, quibus haud ſatis diſcrimen illud exprimitur, quod inter *voluntatem* intercedit, & varios animi actus, qui ab ea plane diverſi ſunt, magis neceſſariam puto: cum videam, Voluntatem ſæpe confundi cum quibuſdam ex affectibus, præſertim *Deſiderio*: alteramque pro altero ſubſtitui; idque ab hominibus, qui haud libenter haberi vellent, quaſi non adeo diſtinctas rerum notiones haberent, & non luculenter admodum de iis ſcripſerint. Hoc puto, obſcuritati & errori haud minimam hac in re anſam dedit. Quapropter, quoad ejus fieri poteſt, illud devitandum eſt. Qui cogitationes enim ſuas intus ad illa diriget, quæ inter *volendum* in animo fiunt, videbit voluntatem, ſive potentiam volendi, circa nihil verſari, præter actiones noſtras: in iis terminari, nec progredi ulterius, & *Volitionem* nihil aliud eſſe, præter particularem iſtam mentis determinationem, per quam mens, nudæ cogitationis adminiculo, actioni cuidam, quam intra poteſtatem ſuam contineri cenſet, ortum dare, eamve continuare, aut prohibere conatur; hinc *Voluntas* a *Deſiderio* plane diſtinguitur, quod in eadem ipſa actione in aliud tendere poteſt longe ab eo diverſum, quod *voluntati* propoſitum eſt. Fieri poteſt, ut vir, cujus voluntati nequeo non morem gerere, me inducat, ut ipſius rogatu id ab alio petam, quod impetrare nollem. In hoc caſu manifeſtum eſt *Voluntatem* & *deſiderium* inter ſe pugnare: actionem volo, quæ una via tendit, cum deſiderium interea temporis alia, eaque plane contraria, tendat. Qui violento podagræ dolore

lore in artubus, gravedinem a capite, aut cibi appetitionis defectum e ventriculo removeri perſentit: vellet etiam libenter pedum aut manuum dolore levari: (ubicunque enim eſt dolor, ibi levamen ſemper experitur): Interim, dum perſentiſcit, doloris remotionem cauſam fore, ut humor noxius ad partem magis vitalem transferatur, voluntas ejus haud ad ullam actionem unquam determinatur, quæ ad dolorem hunc removendum conducat: unde patet, *Deſiderium* & *Volitionem* duos eſſe, diſtinctos actus animi, ac proinde *Voluntatem*, quæ potentia eſt tantum volendi, a *Deſiderio* multo magis diſtingui.

§. XXXI.

Anxietas voluntatem determinat.

UT ad quæſtionem noſtram redeamus, *quidnam eſt, quod voluntatem determinat actionum noſtrarum reſpectu?* Id poſt cogitationes ſecundas, haud puto eſſe, quod vulgo creditur, *maximum bonum* apparens: verum aliqua (eaque utplurimum importuniſſima) *moleſtia*, qua quis impræſentiarum cruciatur; hæc illud eſt, quod *voluntatem* ſucceſſive determinat, noſque ad eas, quas ſuſcipimus, actiones incitat. *Moleſtiam* ſive anxietatem hanc, prout revera eſt, *Deſiderium* vocare fas *eſt*, quod eſt anxietas animi propter carentiam boni alicujus abſentis. Dolor omnis corporis, cujuſcunque ſit generis, & ægritudo animi anxietas eſt ſive *moleſtia*: cumque ea deſiderium ſemper conjungitur, æquale dolori aut anxietati, quæ perſentitur, & ab ea vix diſtingui poteſt. Cum enim deſiderium nihil aliud ſit quam anxietas propter carentiam boni abſentis, doloris reſpectu qui ſentitur: levamen hujus eſt bonum illud abſens, & uſque dum levamen illud vel tranquillitas obtinetur, recte vocari hæc anxietas poteſt

De-

Deſiderium: nemo enim doloris ſenſum habet, qui non eo levari deſideret, idque deſiderio pari dolori iſti, & ab eo inſeparabili. Præter deſiderium hoc levaminis a dolore, aliud eſt poſitivi boni abſentis, atque hic etiam *Deſiderium* & *Anxietas* ſunt æqualia: in quantum enim bonum aliquod abſens deſideramus, in tantum anxietatis illius ergo perpetimur: hic vero haud omne bonum abſens, pro ea, qua eſt magnitudine, aut a nobis eſſe concipitur, dolorem efficit moli ſuæ æqualem; prout dolor omnis deſiderium efficit ſibimet æquale: quoniam abſentia boni haud ſemper eſt dolor, prout præſentia doloris eſt. Quapropter poſſumus bonum abſens contemplari, atque illud conſiderare abſque deſiderio. Quantum vero eſt ubivis deſiderii, tantum ſemper eſt anxietatis (29).

§. XXXII.

Deſiderium eſt anxietas.

DEſiderium eſſe ſtatum anxietatis, unuſquiſque ſtatim comperiet, qui ſemetipſum animadverterit. Quinam eſt, qui non in deſiderio illud perſentiat, quod Sapiens ille de *Spe* dicit (quæ non multum ab iſto diſcrepat) (*) *eam* nempe *protra-*

(29) Quid magis voluntatem determinat voluptatis conſecutio, an doloris abſentia? Plato ut noſtri cordis elateria, chordaſque conſiderat timorem atque ſpem, ope horum affectuum anima noſtra, inquit, diſtenditur atque dilatatur ſperando, ut & reſtringitur, atque abbreviatur timendo. Ex hoc fit quod ſapiens Legislator nunc præmia, nunc pœnas promittit. At pro Problemate dicam, quod ſpes boni magis movet ſpiritum generoſum ac magnum, timor mali magis parvum ac debilem. Et hoc valeat pro eis, qui debent aliis invigilare.

(*) Proverb. XIII. 12.

ſtam ægrum efficere animum, idque ſemper pro magnitudine deſiderii, quod nonnunquam eo anxietatis pervenit, ut plurimi vociferentur (*), *da mihi liberos*, da illud quod concupiſco, *alioquin moriendum eſt mihi*: atque vita ipſa, omneſque voluptates ipſius plus oneris habent, quam diuturna iſta anxietate diſcruciati ferre poſſint.

§. XXXIII.

Deſiderii anxietas voluntatem determinat.

FAteor equidem, Bonum & Malum, præſens atque abſens operari in animam: quod vero *Voluntatem* immediate ſemper determinat ad omnem actionem voluntariam, eſt *anxietas deſiderii*, *bonum aliquod abſens concupiſcentis*, vel negativum, ut indolentiam, cum quis dolore afficitur; aut poſitivum, uti voluptatis ſenſum. Anxietatem eſſe, quæ *voluntatem* determinat ad ſucceſſivas actiones voluntarias, ex quibus maxima pars vitæ noſtræ conficitur, & quibus per curſus diverſos ad diverſos fines ducimur, oſtendere conabor ab experientia, & rei ipſius ratione.

§. XXXIV.

Fons eſt actionis.

CUm quis ea, qua utitur, forte plane contentus eſt, quod fit, cum omnimoda anxietate vacat, quæ induſtria, quænam mentis agitatio, quæ voluntas reliqua eſt, niſi ut in eodem ſtatu permaneat? de

(*) Sic infelicis uteri Rachel maritum ſuum Jacobum adoriebatur, Gen. XXX. 1.

de hoc ſua cujuſque obſervatio unumquemque certiorem faciet. Proinde videmus ſapientiſſimum rerum omnium Conditorem, naturæ noſtræ conſtitutionem contemplantem, gnarumque, quid ſit, quod *voluntatem* determinet, hominibus indidiſſe moleſtiam, famis & ſitis, aliarumque appetitionum naturalium, quæ ſtatis temporibus redeunt, ad movendas & determinandas illorum voluntates, ut ſemet tuerentur, & ſpeciem ſuam conſervarent. Concludendum quippe puto, quod ſi nuda finium bonorum contemplatio, ad quos a diverſis hiſce anxietatibus ferimur, ſatis foret ad voluntatem determinandam, quæque nos ad agendum excitaret, nullos haberemus ex naturalibus hiſce doloribus, & fortaſſe in hoc ſeculo, parum aut nihil omnino doloris ſentiremus. *Melius eſt matrimonium inire, quam uri*, inquit D. Paulus (*), unde videre eſt, quid illud ſit, quod nos præcipue ad conjugii jucunditates alliciat. Amoris ardor exiguus fortius homines excitat, quam uberiorum longe voluptatum conſpectus, eos pellicere poteſt.

§. XXXV.

Maximum bonum poſitivum haud voluntatem determinat, verum anxietas.

QUod *Bonum*, *ſeu potius majus bonum*, *Voluntatem determinet*, axioma eſt fixum adeo atque omnium conſenſu comprobatum, ut non omnino mirer, me, cum primum cogitationes meas ſuper hac re in lucem edidi, illud pro conceſſo habuiſſe; & quidem puto, me apud plurimos delicti veniam facilius inventurum, quod ita tunc fecerim, quam quod nunc auſus fuerim a recepta communiter

 opi-

(*) 1. Cor. VII. 9.

opinione recedere. Nihilominus poſt accuratius examen, nequeo non concludere, *bonum*, ipſumque *majus bonum*, quod apprehenditur atque hominum confeſſione ita ſe habere arguitur, haud prius voluntatem determinare, quam *Deſideria* noſtra, juxta iſtius menſuram aucta, anxios nos reddant ob boni iſtius abſentiam. Convincatur quis, ut poteſt, omnium rerum affluentiam inopiæ præſtare; fac, ut non tantum videat, verum agnoſcat etiam, modicæ vitæ hujus bona ſordida paupertate optabiliora eſſe: quamdiu vero hac contentus eſt, & nequaquam anxio & ſollicito eſt animo, haud pedem unum movet, nec voluntas ejus ad actionem quandam unquam determinatur, ut ſemet ex fortuna iſta expediat (30). Utcunque homini perſuaſum ſit de virtutis emolumentis, eam æque neceſſariam eſſe ei, cui commodum aliquod in hac vita, aut ſpes in futura oſtentata eſt, ac victus eſt ad vitam ſuſtentandam; attamen uſque dum *eſuriat & ſitiat juſtitiam*, uſque dum in iſtius abſentia anxietatem perſentit, haud voluntas ejus ad actionem quandam determinabitur, ad immenſum illud bonum conſequendum; verum alia quædam anxietas, qua intus cruciatur, longe fortior erit, & voluntatem ejus ad alias actiones rapiet. E contrario videat ebrioſus, valetudinem ſuam frangi & debilitari, rem familiarem comminui, infamiam & morbos, rerum omnium, atque ipſius potus jucundiſſimi inopiam ipſam in eo, quem ſequitur, vitæ curſu manere; anxietatis tamen renovatio propterea quod compotorum conſuetudine caret, atque habitualis ſitis ad conſueta tempora bibendi ipſum ad œnopolium abripiunt; etiamſi valetudinis & rerum copiæ; fortaſſe etiam alterius vitæ gaudiorum jactura, ipſi ante oculos verſetur; quorum minimum haud con-

(30) *V. adn.* 29. 62. *tom.* 1.

contemnendum eſt bonum, ſed quod etiam ipſemet majus eſſe fatetur, quam quod e vino nata in palato titillatio, aut temulentorum ſociorum ſermones inficeti miniſtrant. Hoc non ex eo contingit, quaſi majus bonum contempletur; videt enim, fatetur, atque illud, durante tempore compotationi deſtinato, ſequi, cum animo ſuo ſtatuit; quamprimum vero perturbatio iſta revertitur, quæ exinde oritur, quod conſueta delectatione caret, bonum illud, quod majus eſſe, in confeſſo eſt, negligitur, atque præſens anxietas animum determinat ad actionem aſſuetam, quæ hoc pacto altiores agit radices, & proxima vice majorem vim habet; etiamſi eodem tempore clanculum animo ſuo fidem obligat, ſe nunquam in poſterum contra majoris boni adeptionem aliquid facturum. Hinc in miſeria iſta hæc querimonia perpetua eſt (*), *video meliora proboque, deteriora ſequor*; quæ ſententia, cum vera eſſe perhibeatur, & a quotidiana experientia comprobetur, hoc ſenſu tantum, nec alio quodam intelligi poteſt.

§. XXXVI.

Quoniam remotio anxietatis primus gradus eſt ad felicitatem.

SI rei iſtius rationem perſcrutemur, quam facto veram eſſe experientia docet, ſi quæramus, undenam ſit, quod *anxietas* ſola in *voluntatem* operetur, & electionem ejus determinet; videbimus, quod cum voluntas noſtra unius tantum determinationis ad unicam ſemel actionem capax ſit, præſens, quæ nos premit, anxietas voluntatem naturaliter determinat

C 3 in

(*) Verba ſunt Medeæ apud Ovidium, Metamorph. Lib. VII. v. 20. & 21.

in ordine ad felicitatem iſtam, quæ in omnibus actionibus nobis propoſita eſt: dum enim anxietate torquemur, credere nequimus, nos aut felices eſſe, aut felicitatem verſus tendere; credunt enim univerſi, ſenſuque percipiunt, dolorem & anxietatem haud cum felicitate conſiſtere poſſe; illa enim impediunt, quo minus rerum, quas habemus, voluptatem guſtemus. Conſequenter illud, quod determinat electionem voluntatis ad proximam actionem, ſemper erit doloris remotio, quamdiu ullus ſupererit, & hæc remotio eſt tanquam primus & neceſſarius gradus ad felicitatem.

§. XXXVII.

Quoniam anxietas ſola præſens eſt.

Ratio altera, cur anxietas ſola voluntatem determinet, hæc eſſe poteſt. Quoniam ea ſola præſens eſt, atque rerum naturæ contrarium eſt, ut res abſens operetur, ubi non eſt. Dici poteſt, bonum abſens poſſe per contemplationem ſiſti coram, & fieri præſens menti. Poteſt quidem *idea* iſtius in animo eſſe, & tanquam præſens ibi conſiderari (31): nihil autem in animo erit tanquam bonum præſens, efficax ſatis ad compenſandam moleſtiæ cujuſdam remotionem, qua cruciamur, donec deſiderium noſtrum concitaverit, atque iſtius anxietas vim habuerit ad voluntatem determinandam. Eouſque Boni cujuſdam *idea* in mente, aliarum inibi *idearum* adinſtar, nudæ tantum ſpeculationis objectum eſt; in voluntatem vero haudquaquam operatur, nec nos ad agendum excitat, cujus rationem mox redditurus ſum. Quot ſunt reperiendi, quibus ineffabilia cælicolarum gaudia

(31) *V. adn. 53. tom. I.*

dia repræſentata, atque ante oculos propoſita fuerunt, quæ non poſſibilia tantum, verum probabilia etiam agnoverunt, qui tamen ſatis habuerunt, hujus ævi felicitate frui? atque ita affectuum ipſorum importunæ anxietates, quibus vitæ hujus jucunditates captare permiſſum eſt, voluntates illorum alternatim determinat; interea temporis haud illi gradum unum promovent, verſus ævi futuri bona; utcunque iſta immenſa eſſe perhibeantur.

§. XXXVIII.

Quoniam haud omnes, qui gaudia cæleſtia poſſibilia eſſe fatentur, ea acquirunt.

SI voluntas determinaretur per intuitum boni, prout in contemplatione intellectui majus aut minus eſſe videtur, qui eſt caſus omnis boni abſentis, ad nos relati; ſi ego dico, ad illud voluntas feratur & ab illo moveatur, juxta conſiderationem majoris, minoriſve excellentiæ, ut in recepta communiter opinione ſupponitur (32); haud video, quod voluntas poſſit unquam negligere ſempiterna gaudia cæleſtia, cum proponantur ſemel & tanquam poſſibilia ſpectentur (33). Omne enim bonum abſens, modo propoſitum, & intellectui repræſentatum, voluntatem determinare creditur, & nos eadem cauſa in actione ponit: cum vero omne bonum abſens poſſibile tantummodo ſit, & non certum & infallibile, fieri nequit, quin infinite majus bonum poſſibile *voluntatem* regulariter & conſtanter determinet in omnibus ſucceſſivis actionibus, quæ ab ea diriguntur; tunc, ſine ulla

C 4

(32) *V. adnot. 65. tom. 1.*

(33) Hic juxta verſionem Dom. Coſte, nam valde obſcuram ac infidelem reputavi illam Thielis.

ulla intermiſſione, perenni & æquabili curſu cælum verſus tenderemus, nec actiones noſtras ad alium quendam finem dirigeremus; futuri enim ſtatus ſors ſempiterna infinite præſtabilior eſt divitiarum expectatione, vel honoris, aut, quam nobis proponere poſſumus, terreſtris cujuſvis voluptatis, etiamſi concederemus forte probabilius eſſe, ut hæc adipiſceremur: nihil enim, quod futurum eſt, poſſidetur adhuc, quare harum rerum expectatio noſmet ludificare poteſt. Si verum eſſet, majus illud bonum, quod intuemur, *voluntatem* determinare, impoſſibile foret, quin immenſum adeo bonum ſemel propoſitum occuparet *voluntatem*, eamque in bono, infinite maximo, proſequendo defixam ſemper teneret. Cum voluntas enim poteſtatem habeat in cogitationes, eaſque dirigat juxta ac alias actiones, mentem in boni iſtius contemplatione retinebit (34).

Magna tamen aliqua anxietas nunquam negligitur.

Hic foret animi ſtatus, & regularis propenſio voluntatis in ſingulis ſuis motibus, ſi determinaretur ab eo, quod, poſitum in conſpectu noſtro, tanquam majus bonum conſideratur. Rem vero non ita ſe habere, experientia docet. Bonum enim illud, quod infinite maximum eſſe confitemur, non alia de cauſa ſæpius negligitur, quam ut appetitionum noſtrarum meras nugas conſectantium anxietatibus gratificemur. Etiamſi vero illud, quod, omnium confeſſione, maximum eſt, idque ineffabile bonum ſempiternum, a quo incitatur ſæpe, & afficitur animus, haud conſtanter voluntatem retineat; videmus tamen inſignem quandam, & importunam anxietatem, cum voluntatem ſemel occupaverit, haud eam miſſam facere; unde videre eſt, quid illud ſit, quod *voluntatem* deter-

(34) **Hic perſancte, rationabiliterque loquitur.**

terminat. Hoc modo vehemens quidam corporis dolor, amoris ardor impotens, aut flagrans ultionis cupiditas voluntatem ſemper intentam fixamque tenet; atque voluntas hoc modo determinata haud intellectum unquam finit objectum dimittere, verum omnes animi cogitationes, & facultates corporis circa illud indeſinenter verſantur, quandiu premens iſta anxietas durat; unde mihi perſpicuum videtur, voluntatem, ſive potentiam, qua ad unam quandam actionem, præ aliis omnibus, rapimur, in nobis determinari per incommoda iſta, quibus conflictamur; utrum hoc ita ſe habeat necne, velim, ut unuſquiſque intus in ſemet animadvertat.

§. XXXIX.

Deſiderium omnem anxietatem comitatur.

HActenus de deſiderii anxietate tantum mentionem feci, quæ præcipue *voluntatem* determinat; quoniam ea ſenſus maxime afficit; atque voluntas rariſſime quippiam imperat, nec actio quædam voluntaria perficitur, quam non deſiderium aliquod comitetur (35); atque hæc, puto, ratio eſt, quod *voluntas* & *deſiderium* tam ſæpe una confundantur. Haud vero putandum eſt, anxietates, quæ componunt, aut ſaltem comitantur pleraſque omnes reliquas paſſiones, penitus in hoc caſu excludi. *Averſatio*, *timor*, *ira*,

(35) En ratio, qua quidam recens Auctor ait nihil præclare agi abſque virtutis œſtro. Quis Romanorum actiones ignorat, quod omnes ab eo orti fuere? Eædem leges ſupererant hac de cauſa, vel certo pœnæ ipſæ inutiles reputabantur; & revera pœnæ Realium legum, & duodecim tabularum ablatæ fuere, vel in conſequentia legis *VALERIÆ*, *quæ nihil ultra*, ut ait Livius, *quam improbe factum adjecit* (*V. lib.* 10.), vel legis *PORTIÆ*; attamen Romana Reſpublica eodem pede ſe geſſit.

ira, *invidia*, *pudor*, *&c.* ſuas etiam anxietates habent, & per illas in *voluntatem* influunt. Vix aliqui ex affectibus hiſce in vita communi & praxi, ſimplices, & ſolitarii, & ab aliorum conſortio liberi prorſus reperientur (36); etiamſi communiter in ſermone quotidiano, & contemplatione, denominatio ab eo ſumitur, qui maxime operatur, & in præſenti mentis ſtatu plurimum comparet. Imo puto vix unum aliquem affectum eſſe, quem non deſiderium comitetur; certus ſcio, ubicunque eſt anxietas, ibi eſſe *deſiderium*; felicitatem enim conſtanter appetimus, & quicquid anxietatis perſentimus, certiſſimum eſt, tantum nobis felicitatis deeſſe, idque ſecundum noſtram opinionem, quacunque ceteroquin fortuna utamur. Præterea cum præſens momentum haud æternitatis noſtræ ſummam conficiat, quacunque jucunditate perfundamur, ultra illud, quod adeſt, longe proſpicimus; hanc proviſionem noſtram deſiderium ſequitur, atque illud *voluntatem* ſemper ſecum rapit (37): adeo, ut in *gaudio* ipſo, illud, quod actionem

(36) *V. adn. 62. tom. 1.*

(37) Sic vertit *Coſte*; „ Et cum noſtra æternitas non dependeat „ a momento, in quo nos exiſtimus, nos ultra præſens reſpici„ mus, quæcunque ſit voluptas, qua inpræſentiarum fruimur „ ſuper quo adnotat (*).

(*) Je ne ſuis pas trop aſſurè d'avoir attrapé ici le ſens de Monſieur Locke, quoiqu' il ait entendu lire cet endroit de ma traduction ſans y trouver à redire. Il y a dans l'Anglois, *The preſent moment not being our æternity*: Expreſſion fort extraordinaire, qui rendue mot pour mot, veut dire; *Le moment préſent* n'etant pas notre éternité. Il me ſemble que le mot *eternité* n'eſt pas fort philoſophique en cet endroit. Peut-être que tout ce que Monſieur Locke a voulu dire ici, c'eſt que *la durée de notre état n'eſt pas meſurée ou determinée par le moment preſent de notre exiſtence*. C'eſt du moins le ſeul ſens raiſonable que je puis donner a ces paroles pour les accorder avec ce qui vient immediatement aprés. *COSTE*.

nem ſuſtentat, qua fruitio nititur, ſit deſiderium illud continuandi, & timor amittendi: & quandocunque anxietas iſta major in mente inſidet, *voluntas* ſtatim per eam ad novam aliquam actionem determinatur, & præſens delectatio nihili penditur.

§. XL.

Graviſſimæ anxietates voluntatem naturaliter determinant.

Cum vero nos in hoc mundo diverſæ premant *Anxietates*, appetitiones variæ diſcrucient, proxime quærendum eſt, quænam primas obtineant in voluntate ad actionem proximam determinandam? reſpondeo, ea vulgo, quæ illarum graviſſima eſt, quas tunc a nobis removeri poſſe credimus. *Voluntas* enim, cum potentia ſit facultates operativas ad actionem aliquam dirigendi, propter certum finem, nequit ad illud incendi, quod tunc non poſſe obtineri exiſtimatur; illud enim ſupponeret, agentem rationis participem velle fruſtra propter finem agere; quapropter magna incommoda, quibus nulla eſſe remedia arbitramur, haud movent voluntatem: hæc igitur nos ad agendum haudquaquam incitant. His vero miſſis, incommodum iſtud, ex quo maximam tunc animis moleſtiam capimus, illud eſt, quod voluntatem vulgo ſucceſſive determinat in ſerie iſta actionum voluntariarum, e quibus vitæ hujus curriculum conficitur. Maxima præſens *Moleſtia* ſtimulus eſt actionis, cujus ſenſum conſtantiſſime habemus; atque utplurimum voluntatem determinat, in electione actionis proximæ. Hoc enim memoria ſemper tenendum eſt, proprium voluntatis noſtræ objectum eſſe actionem aliquam, & non aliud quippiam. Cum nos enim per *Volitionem* nihil producamus præter actionem aliquam in poteſtate noſtra ſitam, ibi voluntas terminatur, nec ulterius pergit.

§. XLI.

Deſiderium omne felicitas.

SI quis ulterius roget, quidnam moveat *deſiderium* (*)? reſpondeo, *Felicitas* eaque ſola: felicitas & miſeria nomina ſunt duorum extremorum, quorum ultimos terminos ignoramus: ea ſunt (**): *Quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem hominis venerunt.* Utriuſque vero diverſos habemus gradus, quorum vivas imagines hinc *Delectatio* & *Gaudium*, illinc *Cruciatus* & *Triſtitia* in nobis ſignant: hæc, brevitatis gratia, ſub nominibus *Voluptatis* & *doloris* complectar, cum voluptates ſint & dolores animi, æque ac corporis (***): *apud ipſum eſt ſatietas gaudiorum & voluptates in æternum*: aut ut verius dicam, omnes ſunt mentis; etiam quædam in mente oriantur e cogitatione, aliæ in corpore a certis motus modificationibus.

§. XLII.

Felicitas quid?

FElicitas itaque latiſſime ſumpta, eſt voluptas maxima, cujus capaces ſumus, & *Miſeria* eſt, ſi in eodem ſumatur ſenſu latiori, ſummus dolor, quem quis perſentiſcere poteſt: atque infimus felicitatis gradus, eſt omni vacare dolore (38): & ejuſmodi vo-

(*) En tertia quæſtio.

(**) 1. Cor. II. 9.

(***) Pſal. XVI. 11.

(38) Expeterem libenter, homo quando nulla ipſius fibra periculo lacerationis eſt obnoxia, omni vacat dolore, eſt ideo parva felicitate affectus? Inferius in noſtra Meditatione hoc perquiremus.

voluptate & in eo gradu frui, quæ nos tranquillos & ſorte noſtra contentos reddat. Quoniam vero voluptas & dolor in nobis excitantur, per certorum objectorum operationem, vel in mentes, aut corpora, & in gradibus diverſis: idcirco quod aptum natum eſt voluptatem in nobis excitare, id *bonum* vocamus; quod vero dolorem, *malum*; idque non alia de cauſa, quam quod voluptas & dolor, in quibus felicitas & miſeria noſtra conſiſtunt, ab eo oriantur. Præterea, quoniam gradibus voluptatis & doloris ſingularis præſtantia jure optimo tribuenda eſt: etiamſi quod natum aptum eſt, minima quadam voluptate nos afficere, ſit in ſe *bonum*; quod vero minimo dolore, *malum*; ſæpiſſime tamen accidit, ut non ita illud appellemus, quando cum majori ſui generis comparatur. Adeo ut, ſi quod *bonum* & *malum* vocamus, recte expendere & æſtimare velimus, viſuri ſimus, illud maxima ex parte poſitum eſſe in comparatione: cauſa enim uniuſcujuſque minoris gradus doloris, juxta ac voluptatis, naturam habet boni, & *vice verſa*.

§. XLIII.

Quodnam bonum expectatur, quod non.

ETiamſi hoc illud ſit, quod bonum & malum dicitur, & omne bonum ſit proprium objectum *Deſiderii* in genere; haud omne tamen bonum, quod ita ſe habere univerſi fatentur, particularis uniuſcujuſque *deſiderium* neceſſario movet; verum ea pars, aut tantum iſtius, quantum requiritur ad neceſſariam felicitatis ipſius partem conſtituendam. Omne aliud bonum, utcunque magnum revera ſit, aut eſſe videatur, haud illius appetitionem excitat, qui non putat, id partem felicitatis iſtius efficere, quæ in iis, quas in præſens fovet, cogitationibus animum ipſius exple-

plebit. Sub hac conſideratione unuſquiſque felicitatem indeſinenter perſequitur: res alias, quas bonas eſſe in confeſſo eſt, poteſt ſine ulla appetitione intueri. Si alius jucunditatis omnimodæ fructum ponat in iis voluptatibus, quæ corporis ſunt & ſenſuum, alius in rerum cognitione: etiam ſinguli nequeunt non fateri, magnam in eo voluptatem ineſſe, quod alter conſectatur; (nemo enim, arbitror, ſenſus adeo eſt expers, ut inficiari velit, eſſe magnam jucunditatem in ſcientia, & in pergrati cibi & potus ſapore:) neuter vero felicitatem ſuam in eo collocat, quod ab alio expetitur, ſinguli ſatis ſe habere putant, abſque eo, quod alteri in votis eſt, nec voluntas ipſius ad illud determinatur. Quamprimum vero, qui literis delectatur, famis & ſitis moleſtiam perſentit, is, cujus voluntas nunquam antea determinata erat ad conditiora cibaria aut vina ſuaviſſima proſequenda propter jucunditatem, quam in iis ſenſit, ſtatim per appetitus anxietatem, ad cibum potumque ſumendum, etſi fortaſſe ſine obſoniorum ullo delectu, determinatur. Contra Epicureus omni ſtudio ſemet accingit, quando pudor, dum non vult rudis & omnium rerum ignarus haberi, aut cupido animæ ſuæ ſe commendandi efficiunt, ut quodvis literaturæ genus anxie quærat. Utut igitur homines ſerio, & conſtanter felicitatem deſiderent; fieri tamen poteſt, ut, quod omnium confeſſione ingens eſt bonum, clare intueantur, ſine ulla anxietate, ſi modo credant, ſe felicitatis ſuæ ſummam ſine eo complere poſſe (39). Quod ad dolorem vero attinet, iſte ſemper eos anxios habet; ad omne, quod patiun-

(39) Duabus rationibus id evenire, credo, vel ex ſpe bonum obtinendi amiſſa, vel ex idea confuſa ipſius boni. Nos in compoſita ratione cognitionis boni, & probabilitatis eo fruendi, deſiderio afficimur; verum de hoc inferius.

tiuntur, incommodum ſollicitudine ſemper urgentur. Quoniam igitur ægre ferunt, ſe eo carere, quod ad felicitatem conducere cenſetur, quamprimum bonum aliquod videtur ad felicitatem ipſorum pertinere, illud appetere ſtatim incipiunt.

§. XLIV.

Unde eſt, quod maximum bonum non ſemper appetitur.

HOc, puto, quivis poteſt in ſemet obſervare, atque aliis, *majus viſibile bonum* haud *appetitiones* hominum excitare, juxta magnitudinem illam, qua videtur, &, confeſſione hominum, dicitur eſſe: etiamſi levis cura omnis nos movet, efficitque, ut illi amoliendæ operam demus. Ratio patet ex felicitatis noſtræ, & ipſius miſeriæ natura. Præſens dolor omnis, qualiſcunque ſit, præſentis miſeriæ pars eſt: haud omne vero bonum abſens felicitatis, quam in præſenti percipimus, partem neceſſariam unquam efficit, nec abſentia illius partem miſeriæ noſtræ. Quod ſi ita ſe haberet, eſſemus neceſſario ſemper & infinite miſeri: infiniti enim gradus ſunt felicitatis, quæ a nobis haud poſſidentur. Omni igitur anxietate remota, modica boni portio homines in præſentia contentos reddet, & pauci voluptatum gradus ſibi invicem ſuccedentium felicitatem componunt, quæ animos illorum explere poteſt (40). Hoc niſi

(40) Quidquid anima appetit, cum ratione appetit, ita ut dici poteſt non abſque motivis nihil appetere. *Voluntas*, ait Cicero, *eſt quæ quid cum ratione deſiderat, quæ autem cum ratione adverſa incitata eſt vehementius, ea libido eſt; vel cupiditas effrenata, quæ in omnibus ſtultis invenitur.* (*V. Tuſcul. quæſt. IV. 6.*). Motiva iſta ſunt gradus boni diſtincte percepti, & gra-

niſi ita ſe haberet, haud locus foret ullus indifferentibus iſtis, & plane nugatoriis actionibus, ad quas voluntates noſtræ tam ſæpe determinantur, & in quibus tam magnam ævi noſtri partem haud inviti conſumimus; quæ animi remiſſio haud ſtare quidem poſſet cum voluntatis aut *deſiderii* conſtanti determinatione ad bonum maximum apparens: hoc ita ſe habere, ut certo ſciamus, haud opus eſt, ut longe extra noſmet eamus. Et quidem in hac vita haud multi ſunt, quorum felicitas ea ſit, quæ perennem ipſis voluptatum modicarum ſeriem, ſine ulla *anxietatis* miſtura, ſuppeditet: nihilominus vellent libenter hic in æternum manere: etiamſi nequeunt inficiari, poſſibile eſſe, ut poſt hanc vitam ſtatus ſit ſempiternorum gaudiorum, omnia, quæ hic reperienda ſunt bona, longe exuperantium. Imo nequeunt non videre, hoc poſſibilius eſſe, quam eſt adeptio & conſervatio inanis iſtius honoris, divitiarum, aut voluptatum, quæ aucupantur, & quorum ergo æternum iſtum ſtatum negligunt; attamen, dum hoc diſcrimen plane vident, dum extra dubium habent, perfectam, tranquillam, & diuturnam felicitatem poſſe in futuro ævo comparari, in hoc vero præſenti non poſſe, dum felicitatem ſuam in parvam aliquam anguſtamque fruitionem, & vitæ hujus emolumentum concludunt, & gaudiis cæleſtibus partes haſce denegant, haud appetitus illorum per majus illud bonum apparens incenduntur, nec voluntates ad actionem, aut conatus

gradus probabilitatis, ut modo diximus, obtinendi bonum. Qui ideis carent minorem anxietatem ſentiunt, ſi eis bonum deficiat, ut barbarorum exempla ſatis confirmant (29. 62. 66. 11. *tom.* 1.), qui internoſcunt clare, bonum perceptum non poſſe ab eis obtineri, ejus privatione animus non afficitur, ut unuſquiſque in ſe ſentire ac dijudicare poteſt.

natus quoſdam ad illud adipiſcendum determinantur (41).

§. XLV.

Unde eſt, quod non expetitum haud voluntatem moveat (*).

COmmunes vitæ noſtræ neceſſitates, magnam iſtius partem incommodis onerant *famis*, *ſitis*, *caloris*, *laſſitudinis* ex labore, & *ſomni*, &c. quo omnia certo tempore recurrere ſolent; quibus ſi, præter fortuita incommoda, fictitias & inanes anxietates addamus, (cujuſmodi ſunt pruritus adipiſcendi honores, potentiam, divitias, &c.) quæ habitus ex uſu communi acquiſiti, aliorum exempla & educatio in nobis firmarunt, & mille alias appetiones irregulares, quas conſuetudo nobis naturales efficit, videbimus, exiguam vitæ noſtræ partem moleſtiis hiſce adeo vacare, ut nobis liberum eſſe permittant, longinquioris boni abſentis illecebris obſequi: rariſſime liberi ſatis ſumus a naturalium noſtrarum aut adoptivarum appetitionum ſollicitatione; verum conſtans anxietatum ſucceſſio, ex acervo iſto, quem neceſſitates naturales, aut habitus acquiſiti cumularunt, *voluntatem* alternatim ad ſe rapiunt, & non prius una per-

(41) Plura in unum hic concurrunt. 1. Difficultas, vel dubium, hanc felicitatem obtinendi. 2. Timor ne contrarium accidat, ut eſt æterna infinitaque miſeria. 3. Fides non plena de ſtatu futuro. 4. Senſibilitas boni præſentis, quæ major eſt imaginatione futuri boni, etſi hoc immenſum, æternum, immutabile &c. imaginetur; & illud tenue, inſtantaneum, verſatile ſentiatur. Gradus certitudinis iſtius ſuperat gradus immenſitatis illius, habita ratione ad gradus probabilitatis, qua illa boni immenſitas, ut modo diximus (39), poſſit acquiri.

(*) Hæc eſt quarta quæſtio.

perficitur actio, ad quam per ejuſmodi voluntatis determinationem impellimur, quam anxietas altera in promptu eſt, quæ nos ad agendum excitabit. Cum enim remotio dolorum, quos ſentimus, & quibus in præſentia urgemur, ſit liberatio & vacuitas miſeriæ, & conſequenter illud, quod primo faciendum eſt in ordine ad felicitatem, bonum abſens, de quo acta cogitamus, quod apparet ita ſe habere, cum abſentia ejus nullam partem hujus miſeriæ efficiat, ex induſtria negligitur ut vacet nobis eas, quibus premimur, anxietates removere, donec debita & iterata contemplatio propius illud collocaverit, adeo ut nos iſtius, deguſtati prius, deſiderio aliquo flagraremus; quod cum præſentis noſtræ moleſtiæ pars tunc eſſe incipiat, reliquarum ritu movet appetitum, atque ita pro ea, qua eſt magnitudine & anxietate, *voluntatem* invicem determinat.

§. XLVI.

Debita conſideratio deſiderium excitat.

HOc modo, poſt debitam conſiderationem & examen boni alicujus propoſiti, nos penes eſt deſideria noſtra excitare, pro magnitudine & valore boni iſtius, unde loco, & tempore ſuo, aget in Voluntatem, & appetitionis noſtræ objectum erit. Bonum enim, utcunque illud magnum eſſe fateamur, donec cupidinem animis noſtris injecerit, atque ita nos carentia iſtius anxios reddiderit, haud ad voluntatem penetrat; nec ſumus intra ſphæram activitatis ejus; quoniam voluntates noſtræ determinationi ſubjiciuntur illarum tantum moleſtiarum, quæ præſentes ſunt, quæ (quamdiu quibuſdam urgemur) voluntatem indeſinenter ſollicitant, & ad manum ſemper ſunt promptæ, ut proxime illam determinent. Deliberatio enim, qua mens utitur, tantum eſt, utri de-

ſiderio proxime ſit gratificandum; ultra moleſtia primo loco removenda; unde fit, ut, dum anxietas quædam, aut deſiderium in animo remanet, *bonum*, qua tale, haud locum inveniat, quo pertineat ad voluntatem, aut eam quoquo modo determinet. Quoniam, ut dictum eſt, cum primus ſit aditus ad felicitatem, ultra miſeriæ confinia pergere, & nihil iſtius omnino perſentire; haud vacat voluntati alteri cuidam rei adeſſe, quoad omnis, cujus ſenſum habemus, miſeria a nobis plane removeatur; hoc vero neutiquam ſperandum eſt in multitudine anguſtiarum & appetitionum, quibus in imperfecto hoc ſtatu circumſepti ſumus.

§. XLVII.

Poteſtas ſuſpendendi cujuſdam deſiderii conſiderationi locum facit.

Cum in nobis plurimæ ſint anxietates, quæ ſemper *voluntatem* ſollicitant, & paratæ ſunt ad eam determinandam, conſentaneum eſt, ut dixi, illam, quæ maxima & importuniſſima eſt, *voluntatem* determinare ad proximam actionem, quod utplurimum quidem facit, ſed non ſemper. Cum mens enim in pleriſque caſibus prout experientia patet, poſſit quaſdam ex appetitionibus ſuis, quod ad executionem & expletionem illarum attinet, tenere ſuſpenſas; liberum eſt iſti, objecta illarum conſiderare, eas introſpicere penitus, & utrum præponderet, trutina diligenter examinare. In hoc libertas hominis conſiſtit, & ex iniquo iſtius uſu oritur ingens iſta varietas errorum, & vitiorum, in quæ, in vitæ regimine, & felicitate proſequenda, incurrimus; dum voluntates præcipitamus, eaſque temere nimis, ante debitum examen, determinamus. Huic malo ut iremus obviam, poteſtas nobis indita eſt volunta-

tem revocandi a proſecutione hujus aut iſtius appetitionis, prout ſua quemque experientia quotidiana docet. Hic mihi videtur fons eſſe omnis libertatis; atque in hoc illud conſiſtere, quod (valde, ut puto, improprie) *Liberum-Arbitrium* dicitur. Durante enim ſuſpenſione hac deſiderii cujuſdam, priuſquam voluntas determinatur ad agendum, & actio (quæ ſequitur determinationem iſtam) perficitur, tempus idoneum ſuppetit ad contemplandum, examinandum, & judicium ferendum de bonitate aut malitia rei iſtius, quam perfecturi ſumus; cumque poſt debitum examen, judicium tulerimus, factum eſt illud omne, quod noſtri eſt officii, in felicitate proſequenda, atque haud vitium eſt, verum naturæ noſtræ perfectio in deſiderando, volendo, & agendo, poſt debitum examen ultimum voluntatis judicium ſequi.

§. XLVIII.

Haud illud libertatem deſtruit, quod a judiciis noſtris determinemur.

TAntum abeſt, ut hoc ſit diminutio libertatis, quod contra iſti maximo emolumento eſt; non extinguit libertatem, verum finis eſt & uſus iſtius: & quo longius removemur ab hoc modo nos determinandi, eo propius ad miſeriam & ſervitutem accedimus, & revera ſi ſupponatur in ſpiritu perfecta atque abſoluta indifferentia, quæ determinari nequit per ultimum iſtius judicium circa bonum aut malum illud, quod contemplationi ejus obverſatur, & credit juxta ſuam determinationem eſſe eligendum. Ejuſmodi indifferentia (42) tam longe abeſt ab excellentia

(42) Hoc juxta Coſte.

tia præſtantiaque intellectualis naturæ, ut non minor foret imperfectio, quam e contrario iſta foret, ſi careret indifferentia ad agendum aut non agendum uſque dum a voluntate determinaretur, liberum eſt homini, manum ad caput attollere, aut permittere, ut quieſcat; ad utrumque indifferens eſt; atque imperfectio foret, ſi potentia iſta careret, ſi indifferentia iſta orbaretur. Non minor vero imperfectio foret, ſi eandem haberet indifferentiam, manum ſuam attollendi, aut in quiete eam tunc retinendi, cum caput aut oculos ejus ab ictu quodam irruenti tueretur: æque *perfectio eſt, ut deſiderium, ſive potentia unum præ alio eligendi, per bonum determinaretur*, ac ut potentia agendi determinaretur per voluntatem, & quo certior eſt determinatio iſtiuſmodi, eo major eſt perfectio. Imo ſi per aliud quoddam determinaremur, præter mentis noſtræ judicium ultimum, de rei cujuſdam bonitate aut malitia judicium ferentes haud eſſemus liberi.

§. XLIX.

Entia, quæ liberrime agunt, ita determinantur.

SI, qui ſupra nos ſunt, Cælites intueamur, qui perfecta beatitudine fruuntur, ratio erit, ut credamus, eo conſtantius, quam nos, *in boni electione determinari* (43) haud vero ratio eſſet, cur crederemus, eos nobis minus eſſe felices ac liberos. Et ſi conveniret, ut finitæ creaturæ ea, qua nos ſumus, infirmitate, de ſapientiæ & bonitatis infinitæ potentia temere pronunciarent, dicendum, puto, foret, Deum ipſum non poſſe id eligere, quod bonum non eſt,

(43) Ex eo quia de facie ad faciem vident, & res diſtincte percipiunt. (*1. Cor. 13. 12*)

eſt; omnipotentis libertas haud impedit, quo minus ab illo determinetur, quod optimum eſt.

§. L.

Conſtans determinatio ad felicitatem perſequendam haud libertatem tollit.

UT vero errorem hunc circa libertatem recte examinemus, num quis fatuus propterea eſſe & haberi velit, quod per recta conſilia minus determinetur, quam Sapiens; num illud amplum ſatis pretium eſt libertatis, quod liberum ſit homini ineptire, atque pudorem & miſeriam in ſemet accerſere? Si rationis ductum aſpernari, atque iſta examinis & judicii coercitione carere, quæ nos cohibet ab eo eligendo, quod deterius eſt, vera ſit & genuina libertas, tunc furioſi & inſipientes ſoli ſunt liberi: puto tamen, neminem velle talem propter libertatem inſaniam eligere, niſi qui ante inſanus eſt. Nemo, arbitror, dicet, conſtantem felicitatis appetitionem & neceſſitatem, quam nobis imponit iſtius gratia operandi, libertatem noſtram interpellere, ſaltem haud ita, ut de hoc queri debeamus. Ipſemet Deus omnipotens neceſſario eſt felix, & quo magis ens aliquod intellectuale ita ſe habet, eo propius ad infinitam perfectionem & felicitatem appropinquat. Ut in miſerabili hoc ſtatu ignorantiæ, nos, qui ad emolumenta noſtra caligamus, non a vera felicitate aberremus, poſſumus appetitionem quandam particularem tenere ſuſpenſam, atque impedire, quo minus determinet *voluntatem*, & nos ad agendum excitet; hoc *ſubſiſtere* eſt pauliſper, ubi viam ignoramus: ponderare rem, eſt *ducem & monitorem conſulere*. Determinare voluntatem poſt deliberationem, *eſt monitoris iſtius ductum ſequi*: & qui poſt ejuſmodi determinationis directionem, poteſt agere, vel non agere,

re, eſt *agens liber*; ejuſmodi determinatio haud diminuit potentiam, in qua libertas conſiſtit. Is, cui adimuntur vincula, & fores carceris aperiuntur, perfecte liber eſt, quoniam exire aut intus manere poteſt, prout ipſi viſum fuerit; etiamſi, quod præſtabilius putat, ad manendum determinatur, per noctis tenebras, per cælum immite & turbidum, vel propterea quod neſciat, ubinam alibi pernoctet. Haud liber eſſe deſinit; etiamſi deſiderium alterius alicujus commoditatis electionem ejus abſolute determinat, efficitque, ut carcere pro diverſorio utatur. (44).

§. LI.

Neceſſitas veræ felicitatis perſequendæ, fundamentum eſt libertatis.

QUemadmodum igitur naturæ intelligentis ſumma perfectio poſita eſt in vera & ſolida felicitate ſtudioſe diligenterque perſequenda; ita cautio & diligentia illa, quam adhibemus, ne errore implicati imaginariam felicitatem pro vera ſectemur, neceſſarium libertatis noſtræ fundamentum eſt, & quo vehementius adigimur ad perennem proſecutionem felicitatis in genere, quod ſummum eſt bonum, quodque, quatenus tale eſt, appetitiones noſtræ ſemper ſectantur, eo liberiores ſumus a neceſſaria voluntatis determinatione, ad actionem quandam particularem, aut a neceſſaria gratificatione appetitionis noſtræ, circa particulare aliquod, & tunc apparens majus bonum, uſque dum examinaverimus, utrum connexum ſit cum felicitate noſtra, & cum ea conſiſtere poſſit, nec ne; donec in hac diſquiſitione tantum di-

(44) De hoc in noſtra meditatione.

tis finiti intelligentis (46), mihi præſtantia eſſe videtur; atque diligenter expendatur (*) velim, utrum origo, & exercitatio libertatis omnis, qua præditi ſunt homines, cujus ſunt capaces, quæque opus eſt illis, & in qua omnes illorum actiones nituntur, non in hoc conſiſtat, quod penes eſt ipſos, appetitiones ſuas ſuſpendere, & impedire, quo minus voluntates ad actionem quandam prius determinent, quam bonitatem & malitiam iſtius æqua lance trutinaverint, quantum rei ipſius momentum poſtulat. Hoc in noſtra eſt poteſtate poſitum, quo peracto, omne illud fecimus, quod officii eſt, & poteſtatis noſtræ; & quidem quod e re noſtra eſt; quandoquidem enim voluntas intellectum præſupponit ad electionem ipſius dirigendam; quod noſtri eſt voluntates a determinatione cohibere, donec iſtius, quod expetimus, commoda & incommoda expendamus. Quod deinceps ſequitur, ingens eſt ſeries conſequentiarum communi vinculo inter ſe invicem nexarum, & ab ultima voluntatis determinatione pendentium, quæ utrum poſt temerariam & præcipitem, an debitam & maturam examinationem futura ſit, penes nos eſt ſtatuere; docet enim experientia, poſſe nos pleriſque in caſibus quandam appetitionem tenere in ſuſpenſo (47).

§. LIII.

---

(46) Hac de re vide meditationem noſtram de anima brutorum (*tom.* 2. *pag* 98.)

(*) In originali ſic eſt *Thegreat inlet*. COSTE.

(47) Sic Pamphilius apud Terentium, qui monitus de uxore reducenda, ait:

. . . Equidem cupio, & vix contineor.
Sed non minuam conſilium. Ex uſu quod eſt id perſequar.
(*V. Hec. IV.* 49.)

§. LIII.

Affectuum moderatio præcipuus eſt uſus libertatis.

SI qua vero inſigni perturbatione (prout nonnunquam accidit) totus commovetur animus, uti, cum vis tormentorum, vehemens aliqua moleſtia, amoris puta, iræ, aut ingruentis alterius cujuſdam vehementiſſimi affectus, deliberandi nobis copiam abripit, atque nos haud adeo noſtri ſumus compotes, ut res penitus introſpicere & examinare poſſimus, Deus, cui noſtræ fragilitas naturæ ſat perſpecta eſt, quique noſtri miſeretur, benigni & miſericordis ritu patris de nobis judicium faciet. Cum vero ſuſpenſio ſtudii præproperi in iis agendis, quæ grata ſunt appetitionibus noſtris; affectuum noſtrorum moderatio, ut intellectui liberum ſit, rem examinare, & rationi minime præjudicatæ judicium ferre, id ſint, quo vitæ noſtræ directio ad veram felicitatem nititur, in hoc curam & cogitationem præcipue impendere oportet: in hoc elaborare decet, ut, qui in animo eſt, guſtum veræ intrinſecæ bonitati aut pravitati rerum accommodemus, & non permittamus illud, quod, omnium confeſſione, ingens eſt bonum poſſibile, ex animis noſtris elabi, nullumque guſtum, nullum ſui deſiderium, ibi relinquere, uſque dum per debitum veri iſtius pretii examen, appetitiones, præſtantiæ iſtius conſentaneæ, in animis noſtris formentur, noſque abſentia iſtius, aut timor amittendi anxios habeat (48). Quantum vero hoc in ſua unius-cujuſ-

---

(48) Hoc eſt pars educationis, & reflexionis. *Educationis*, quatenus hæc ideas boni veri vel falſi, ut & mali veri ac falſi ſuppeditat (69. 70. *tom* 1.): *reflexionis*, quatenus ipſamet viviticat ideas, & ut in ſe ſunt, eas videre facit. (9. *tom.* 2.)

cujuſque poteſtate poſitum ſit, quivis facile experiri poteſt, illud promittendo, in quo ſe permanere poſſe certo ſcit. Nec dicat aliquis, ſe non poſſe moderari affectibus, aut obſtare, quo minus ab iis abripiatur, & ad agendum concitetur; quod enim coram Principe poteſt, idem poteſt in ſolitudine, aut Dei præſentia agere.

§. LIV.

Unde eſt, quod homines diverſos tenent curſus.

Ex iis, quæ diximus, facile eſt rationem reddere, unde eveniat, ut, etiamſi omnes felicitatem aucupentur, *voluntatibus* tamen in *contrarias longeque diverſas partes*, & ita nonnulli ad illud, quod malum eſt, abripiantur. Ad hoc reſpondeo, diverſas longe & inter ſe pugnantes appetitiones hominum haud omnino probare, eos omnes non ſectari illud, quod bonum eſt; ſed idem non eſſe bonum omnibus; nec unumquemque beatitudinem ſuam in una eademque re collocare, nec eadem via ad illam tendere: ſi hominum ſtudia omnia in hac vita terminarentur; ratio cur alius rerum omnimodam ſcientiam, alius aucupium & venationem ſectetur, cur alter luxuria difluat, alterius ſumma ſit in victu temperantia, non ea eſt, quod hi omnes non illud expetant, quod ad ſuam uniuſcujuſque felicitatem pertinere arbitrantur, verum quod unuſquiſque felicitatem ſuam ponat in rebus diverſis: recte itaque medicus homini reſpondit, qui laboravit ex oculis; *ſi majorem voluptatem percipis in vini, quam oculorum uſu, vinum tibi bonum eſt; ac ſi major eſt viſus tibi, quam bibendi voluptas, tunc vinum eſt tibi valde malum* (49).

(49) *V. adn.* 28. 56. 59. 62. 65. 66. 67. *ſupr.* 1.

§. LV. Animus, haud ſecus quam palatum, diverſo longe guſtu afficitur; nec magis operam perderet, qui animos univerſorum divitiis aut gloria expletum iret, (in quibus tamen nonnulli felicitatem ponunt) quam ſi cunctorum famem caſeo aut aſtacis expleret; quæ etiamſi nonnullis cibi ſint jucundiſſimi, aliis tamen nauſeam faciunt: & plurimi mallent ventriculi eſurientis tormina pati, quam iſtis veſci cibis, quæ aliis inſtar omnium ſunt dapium opipararum (*). Hinc, opinor, evenit, ut Philoſophi olim fruſtra quærerent, utrum *Summum bonum* in divitiis, vel voluptatibus corporis, vel virtute, aut contemplatione conſiſtat (**): nec abſurdius fuiſſet, ſi diſputaſ-

---

(*) Comparatio præciſa non eſt, nec ideo præciſa eſt applicatio, quam poſtea efficit Auctor. Guſtus eſt neceſſario determinatus a phyſica impreſſione, nec apud hominem eſt, efficere quod cibus hic excitet ei voluptuoſam modificationem, vel ille alteram moleſtam non producat. Econtra deſiderium pariter eſt determinatum a modo, cum quo concipitur objectum (**). At omne objectum varios aſpectus variaſque relationes habet, juxta quod diverſe reſpicitur (***). Amor pro una re, & averſio pro altera, oritur a reſpiciendo primam a meliori aſpectu, ſecundam a pejori (****). Si hoc contrarium efficeret, ſæpius amor in odium mutaretur, & odium in amorem. Non eſt ergo quod anima habeat guſtus diverſos, ut palatus, ſi videntur hominum inclinationes oppoſitæ ejuſmodi, ſed ex eo quia res eaſdem a nonnullis in uno aſpectu, a nonnullis aliis in alio aſpectu reſpiciuntur. (*****) *SOAVE*.

(**) Ergo præciſa eſt comparatio, ut guſtus eſt in ſubjecto guſtantis, ita deſiderium eſt in ſubjecto percipientis, & juxta diverſas ſuas modificationes, in quibus adinvenitur ſubjectum ipſum, guſtus vel deſiderium oritur.

(***) Oritur a præconceptis ideis, ut palatus a præhabitis diſpoſitionibus (98. *tom.* 1. (*) *tom.* 2. *pag:* 130.)

(****) Melius habita ratione ad ſtatum percipientis.

(*****) Expoſcitur, qua ratione hic ſub uno, ille ſub alio aſpectu eaſdem reſpicit res? Sane pro ideis habitis, ergo pro ſtatu reſpicientis.

(**) En quinta quæſtio.

taſſent, utrum poma, pruna, aut nuces ſaporis ſint gratiſſimi, & in diverſas ſtatim hæreſes ea ſuper re ivitſent. Sicut enim grati ſapores haud pendent ex rebus ipſis, verum ex eo, quod grati ſint hujus aut illius palato, in quibus magna eſt veritas (50): ita maxima felicitas conſiſtit in rerum fruitione, quæ pariunt voluptatem maximam, atque abſentia iſtarum, quæ perturbationem aliquam, aut dolorem afferunt, hæ vero in diverſis res valde diverſæ ſunt (51). Si homines igitur, in hac tantum vita ſpe præditi ſunt; ſi hic tantummodo gaudio fruuntur, haud iniquum eſt, ut beatitudinem quærant in iis omnibus vitandis, a quibus ægritudine hic afficiuntur, & in proſequendis iis, a quibus oblectantur: nec mirandum eſt, ſi magna hac in re varietas & diſcrimen propenſionum inveniatur. Si enim poſt vitæ hujus curriculum, nihil futurum proſpiciunt, recte inferunt (*), *edamus & bibamus*, in eo quod jucundum eſt, ut noſmet oblectemus, *cras enim moriendum eſt*. Hoc, puto, rationem nobis ſatis explicat, cur, etiamſi omnium deſideria ad felicitatem nitantur, non ab eodem tamen objecto concitentur (52). Fieri poteſt, ut homines res diſpares ſequantur, omnes tamen recte eligant, ſi ſupponamus tantum, eos brutorum animantium ritu agi, quorum nonnulla ſunt, ut apes, quæ floribus & illorum ſuavitate capiuntur; alia, ſcarabæi nimirum, aliis veſcuntur eſculentis; quibus poſtquam brevi tempore fruuntur, eſſe deſinunt, nec in poſterum unquam exiſtendi initium habent (**).

§. LVI.

---

(50) *V. Malattie Flatuoſe tom.* 2.

(51) *V. Medit. noſtr. de pulchr. tom.* 2.

(*) Ieſ. XXII. 13.

(52) *V. adnot.* 40. 41.

(**) Si ad honeſtatis, ac rationis regulas reſpiciatur, ſemper reprehenſibile eſſet ſe determinare abſque ullo conſilio, quo detegitur, quod eſt fugiendum; vel amandum. *SUAVE*.

§. LVI.

Unde ſit, ut homines malum eligant.

HInc diſcimus, quomodo accidat, ut homines in hac vita res eligant tam longe inter ſe diſtantes & per diverſos adeo curſus ad felicitatem tendant: quoniam vero homines ſemper conſtantes ſunt, & ſerii, in re felicitatis & miſeriæ, adhuc quærendum reſtat, *unde fiat, ut homines illud, quod pejus eſt, præſtabiliori ſæpiſſime præferant*; atque eligant illud, a quo ſe miſeros fuiſſe redditos ipſimet fatentur (*)?

§. LVII.

E doloribus corporis.

QUo melius ratio reddatur diverſorum curſuum, quibus ad felicitatem, quæ ab omnibus expetitur, homines tendunt, conſiderandum eſt, undenam variæ anxietates, quæ in omni actione voluntaria voluntatem determinant, ortum habeant.

I. Quædam a cauſis oriuntur, quæ non ſunt in poteſtate noſtra, cujuſmodi ſunt ſæpiſſime ægritudinis perturbatio in corpore, orta a rerum inopia, morbis, aut injuriis externis, qualis eſt equulei, cruciatus, *&c.* hæc cum præſentia ſunt, & violenta, vehementer utplurimum in voluntatem agunt, & vitæ humanæ curſum a virtute, pietate, religione, & omni re deflectunt, quam prius ad felicitatem duxiſſe putabant (53); haud unuſquiſque enim operam dat, aut non

(*) En ultima quæſtio, quam in hoc capite agitat.

(53) In ratione, qua ſenſatio realis ſuperat vivacitatem imagina-

non poteſt, per remoti, & futuri boni contemplationem, in ſemet excitare appetitiones iſtius validiores moleſtiis, quas in corporis cruciatibus iſtis perſentit; quæque poterunt voluntatem ejus in earum actionum electione conſtanter retinere, quæ ad ſempiternam felicitatem ducunt. Cujus rei exempla ubique deprehendi abunde poſſunt; nulla enim eſt regio, nulla unquam fuit ætas, quæ non ſuppeditarent teſtimonia, quibus ſententiæ hujus veritas evinci poſſit: *Neceſſitas cogit ad turpia*. Quocirca ſatis prægnantes habemus *cauſas Deum implorandi* (*), *ne nos inducat in tentationem* (54).

E pravis appetitionibus, quæ a judiciis non rectis oriuntur.

II. Aliæ anxietates oriuntur ex appetitionibus boni abſentis; quæ appetitiones proportionem ſemper habent ad bonum illud abſens, atque a judicio pendent, quod de illo facimus, & guſtu, quem habemus; quorum utrumque nos in errorem ducere ſolet, idque noſtra ex culpa (55).

§. LVIII.

ginationis rei repræſentatæ, major inclinatio oritur ad bonum perceptum, quam ad bonum imaginatum. En ratio, qua requiritur conatus ad dirigendas actiones noſtras ad hoc, non ad illud bonum.

(*) Rom. II 6. 7 8 9.

(54) Hæc eſt lucta alibi indigitata (*de pulchr. mor. tom. 2. pag.* 117.), & exceſſus determinat voluntatem. Videtis ergo, rationem, qua facilius illi, qui ideis diſtinctis gaudent, & ſibi diſtincte repræſentant bonum, magis ſuis reſiſtunt ſenſationibus, & ad veram felicitatem conſequendam ſuas dirigunt volitiones, econtra qui confuſe omnia percipiunt.

(55) Hoc judicium eruitur ab ideis præhabitis. (98. 67. 66. 65. *tom.* 1.)

§. LVIII.

Judicium noſtrum circa bonum aut malum præſens, ſemper rectum eſt.

ANte omnia falſum illud judicium conſiderabo, quod homines faciunt de Bono aut Malo futuro, quo in pravas cupiditates feruntur; quod ad præſentem enim felicitatem aut miſeriam attinet, quando ea ſimpliciter ſpectatur, abſque reſpectu ullo ad conſequentias, *homo nunquam eligit malum*: quid ipſimet gratiſſimum ſit, novit, atque illud eligit (56). Res in præſenti fruitione, id ſunt, quod videntur eſſe: apparens & reale bonum, & in hoc caſu, haud diſtinguuntur. Cum dolor enim aut voluptas ſemper tanta ſit, & non major, quam ſentitur, bonum aut malum præſens tantum revera eſt, quantum eſſe videtur. Quapropter ſi omnis actio noſtra intra ſemet concluſa foret, & conſequentias nullas annexas haberet, in bono eligendo nunquam in errorem incideremus; verum, quod optimum eſt, præſtabilius ſemper duceremus. Si laboris honeſti moleſtia, atque ea, quam illi ferunt, qui fame & frigore conficiuntur, nobis proponerentur, haud eſſemus dubii, utram præoptaremus: ſi optio eſſet, utrum quis libidinoſa voluptate, aut gaudiis cæleſtibus frui in præſentia vellet, haud longo uteretur examine, nec erraret in electione.

§. LIX. Quoniam vero actiones noſtræ voluntariæ haud felicitatem & miſeriam omnem, quæ ab iis pendet, ſecum tunc ferunt, quando perficiuntur; verum

(56) Senſu in quo Lockius loquitur, ut alibi adnotavimus (*pag.* 150. (*) *tom* 2.); hoc verum eſt, at quis dicere poteſt in dolore vel voluptate in præſentiarum percepta, verum bonum, vel verum malum conſiſtere? (*ib.* 65. *tom.* 1.)

rum antecedentes cauſæ ſunt boni & mali, quæ poſt ſe trahunt, & in nos accerſunt, poſtquam ipſæ deſierunt eſſe; appetitiones noſtræ longe ultra gaudia proſpiciunt, quibus fruimur in præſentia, & mentem ad bona abſentia rapiunt, prout illa ad felicitatem noſtram augendam neceſſaria eſſe credimus. Atque haud omne abſens, ipſumque apparens bonum nos afficit: quoniam, cum indolentiam & delectationem, qua utimur, ad præſentem noſtram felicitatem ſufficere credimus, haud libenter mutationis aleam ſubimus: quoniam putamus nos, ex eo, quod ſumus contenti, jam felices, atque hoc ſufficit; is enim felix eſt, qui eſt ſorte ſua contentus. Ingruente autem nova quadam moleſtia, convellitur hæc felicitas, & nos ad aliam quærendam ſtatim excitamur.

§. LX.

A falſa opinione de iis rebus, quæ felicitatis partem neceſſariam efficiunt.

OPinio igitur iſta, qua ſæpe imbuuntur, ſe abſque eo beatos eſſe poſſe, una ratio eſt, cur homines ſæpiſſime haud maximi boni abſentis deſiderio incendantur. Dum in ea ſunt opinione, gaudia ſtatus futuri ne hilum illos movent; haud valde de iis ſolliciti aut anxii ſunt, atque liberum eſt voluntati ſolutæ jam a determinatione hujuſmodi appetitionum propriora ſequi oblectamenta, & a ſe moleſtias iſtas removere, quæ ex horum abſentia & cupiditate naſcuntur. Si vero ſententiam hanc mutaverit; ſi compertum habuerit, virtutem & religionem neceſſario ad felicitatem requiri; ſi introſpecto penitus ſtatu futuro beatitudinis aut miſeriæ, ibi Deum juſtum judicem intuebitur, cui in promptu

eſt (*) *reddere unicuique ſecundum opera ipſius; iis quidem, qui per tolerantiam quærunt boni operis gloriam, & honorem, & incorruptibilitatem, vitam æternam: unicuique autem malum perpetranti, excandeſcentiam & iram, afflictionem & anguſtias*: illi, inquam, qui in conſpectu habet diverſum longe ſtatum omnimodæ tranquillitatis, aut miſeriæ, qui poſt hanc vitam omnes manet, & cujus ſors ab iis pendet, quæ in hoc ſeculo fecerunt, menſuræ boni & mali, quæ electionem ejus dirigunt, plurimum immutantur. Quandoquidem enim nulla voluptas, aut dolor in hac vita, aliquam proportionem habet ad ſempiternam felicitatem, aut tetros cruciatus immortalis animæ in ævo venturo, actiones, quas in poteſtate habet, determinatæ erunt, haud juxta fluxam iſtam & momentaneam voluptatem, aut dolorem, qui in hoc ſeculo comitatur, aut ſequitur eas; verum quatenus ad ſempiterni ævi venturi perfectam tranquillitatem adipiſcendam conducunt.

§. LXI.

Falſi judicii ratio magis particulatim redditur.

Ut vero miſeriæ iſtius, quam homines ſæpius in ſemet acceſſunt, etiamſi omnes felicitatem ſerio expetunt, ratio clarius explicetur, conſiderandum eſt, quomodo fiat, ut *res* appetitionibus noſtris proponantur *ſub ſpeciebus falſis*: hoc eſt *per judicium perperam* de iis pronuncians. Ut videamus quouſque hoc pertineat, & quænam ſint cauſæ haud recti judicii, memoria tenendum eſt, res duplici ſenſu bonas aut malas dici.

Pri-

(*) Rom. II. 6. 7. 8. 9.

Primo, Quod proprie bonum eſt aut malum, nihil aliud eſt præter voluptatem tantum, aut dolorem.

Secundo; Quoniam non ſolum præſens voluptas & dolor, verum illud etiam, quod aptum natum eſt per efficaciam ſuam, aut per conſequentiam, illud in nos accerſere, proprium eſt appetitionum noſtrarum objectum, & ſatis idoneum ad creaturam excitandam, quæ poteſt res futuras proſpicere; quapropter *res etiam, quas voluptas aut dolor conſequitur, tanquam bonæ & malæ conſiderantur* (57).

§. LXII. *Falſum judicium*, *quod nos in errorem ducit*, efficitque, ut voluntas ſæpius in ſequiorem partem inclinet, in eo poſitum eſt, quod homines, poſt variam rerum inter ſe comparationem, pretium illarum haud recte æſtiment. *Falſum judicium*, de quo loquor, haud opinio eſt, quam unus de alterius determinatione habet; verum quod ipſimet, erroneum & rationi minus conſentaneum eſſe, neceſſario fatendum eſt (58). Cum enim illud pro certo & conceſſo haberi velim, creaturam omnem intelligentem concupiſcere felicitatem, quæ poſita eſt in fruitione voluptatis, ſine ullius moleſtiæ miſtura; impoſſibile eſt, ut quidam in poculum, quod ſuo ipſius propinaturus eſt genio, amari quid lubens immitteret, aut omitteret aliquid, cujus deſiderio tenetur, quoque expleri animum, & perfectam cumulatamque felicitatem comparari exiſtimat, niſi ex judicii tantum errore. Haud de errore iſto hic mentionem faciam,

E 2

(57) Bonum poteſt calculari in ratione compoſita ex diuturnitate perfectionis, vel voluptatis, qua fruimur, & intenſitate ejuſdem voluptatis. Quapropter in conflictu plurium bonorum, bonum minoris gradus ex dicta ratione erutum, pro bono falſo numerari debet, & verum bonum eſt, quod majorem gradum habet.

(58) *V. meditationem noſtram de* morali *pulchritudine tom.* 2.

ciam, qui ignorantiam invincibilem ſequitur; erronei enim judicii nomen vix meretur: verum de falſo iſto judicio, quod ita ſe habere unicuique fatendum eſt.

§. LXIII.

In comparatione præſentis cum futura.

I. Itaque quod attinet ad voluptatem, vel dolorem, quem actu percipimus, mens (*), ut dixi, nunquam errat in eo, quod reipſa bonum eſt; voluptas, aut dolor, id revera eſt, quod videtur eſſe. Etſi vero præſens voluptas & dolor diſcrepantias & gradus ſuos adeo plane oſtendant, ut errori locum nullum relinquant: *cum* tamen *voluptatem aut dolorem præſentem cum futuro comparamus*, (prout vulgo fit in voluntatis determinationibus iſtis, quæ maximi ſunt momenti) in eo caſu nos, duas haſce voluptatum & dolorum ſpecies metientes ſecundum diverſa temporum & locorum intervalla, uti ſeſe nobis offerunt, *in judicando erramus*. Objecta prope conſpectum poſita iis majora eſſe cenſentur, quæ longius diſtant, etiamſi hæc magnitudine ea exuperent. Haud ſecus ſe res habet in voluptatibus & doloribus; præſens utplurimum præſtabilior judicatur; & quando comparatio inſtituitur, longinquiores poſtponuntur. Hoc modo plerique homines, perditorum & profuſorum ritu hæredum, exiguum bonum illud, quo in præſenti fruuntur, præſtabilius eſſe putant ingentibus divitiis, quas poſt tempus diutinum adepturi ſunt, adeo, ut propter præſentem exiguarum rerum poſſeſſionem renuncient prædiviti hæreditati, quæ ipſos non poterat non manere. Hoc vero erroneum

(*) Rom. II. 18.

neum eſſe judicium unicuique fatendum eſt, in quocunque felicitas iſta conſiſtat, quoniam, quodcunque futurum eſt, certe olim præſens erit; tunc illud, cum poſitum ſimiliter fuerit in propinquo, in ea, qua eſt, mole comparebit, & obſtinatum illius errorem coarguet, qui τό æqua illud lance trutinavit. Si ſtomachi nauſea iſta, & dolor capitis, quæ nonnullis, haud multis poſt horis, obveniunt, affluentius potandi voluptatem eodem momento comitarentur, quo pocula quis exhaurit (*), nemo, arbitror, utcunque ipſi pocula jucunda forent, ſub hac conditione labra iis admoveret; cum tamen in dies ſingulos exitioſo hoc liquore, nimium ſumpto, ſe repleat, & ita deteriorem eligat partem propter fallaciam, quæ ex temporis exigui diſcrimine oritur. Si vero voluptas aut dolor ita diminutus, per paucarum tantum horarum diſtantiam, quam in remotiori intervallo magis ab eo fiet, qui inſtituta pauliſper hominis ſobrii conſideratione, nolit (quod tempus effecturum eſt) ea præſentia & ante conſpectum ſiſtere, ut poſſit rectam illorum menſuram inire? Hoc modo ſolemus noſmet decipere, in re voluptatis & doloris, aut reſpectu graduum beatitudinis aut miſeriæ, quam res poſſunt producere, vera ſua portio futuro denegatur, & quod præſens eſt, quaſi maximum eſſet, primas in electione obtinet. Haud loquor hic de *falſo* iſto *judicio*, per quod abſentia non imminuuntur tantum, verum ad nihilum plane rediguntur; cum homines, quantum poſſunt, præſenti utuntur; perperam concludentes, nihil mali inde ſecuturum: haud il-

(*) En quo modo *Montagne* idem exprimit. „ Si la douleur „ de tête, venoit avant l'yvreſſe, nous nous garderions de „ trop boire: mais la volupté, pour nous tromper, marche de- „ vant & nous cache ſa ſuite „ : (*Eſſais, tom.* 1. *liv.* 1. *Chap.* 38. *p.* 449. *Edit. de la Haye* 1727.) COSTE.

illud enim conſiſtit in comparatione magnitudinis boni & mali futuri, de qua hic tractamus, verum alio in genere falſi judicii, quod eſt circa bonum aut malum, quatenus conſideratur tanquam cauſa voluptatis aut doloris, illud ſequentis (59).

§. LXIV.

Cauſæ hujus.

Cauſa erroris noſtri, quando præſentem voluptatem aut dolorem cum futuro comparamus, mihi videntur eſſe *animi noſtri anguſtiæ*. Non bene poſſumus duabus ſimul voluptatibus frui, nedum aliqua propemodum, dum cruciatu diſtinemur. Præſens voluptas, niſi languida admodum ſit, & fere nulla, pectora noſtra anguſta adeo replet, & totum animum occupat, ut rerum abſentium conſiderationi locum ferme nullum relinquat, aut ſi plurimæ e noſtris voluptatibus haud tantam vim habeant, quanta ſufficiat ad rerum procul diſtantium contemplationem impediendam, dolorem vero tantum horremus, ut paululum iſtius omnia gaudia noſtra extinguat. Modicum amari in poculum immiſſum nullum dulcedinis ſenſum relinquit; atque hinc evenit, ut optemus quovis modo, præſenti malo liberari, cui nihil abſens par eſſe poſſe cenſemus; quoniam dolore remanen-

(59) Paucis complecti poteſt. Pro contemplatione boni futuri requiritur certitudo, & intelligentia, ut diximus (41); in ratione qua hæc deficiunt, deficit gradus voluntatis ad eum conſequendum. Ulterius Intenſitas & diuturnitas doloris vel voluptatis dat inclinationem vel averſionem ad rem (57), ergo in ratione graduum hujus diuturnitatis ac intenſitatis doloris vel voluptatis, nec non idearum diſtinctarum ac certitudinis boni futuri, ipſum bonum optatur, facta prius comparatione cum gradibus miſeriæ vel doloris, quem in præſentiarum pro bono futuro ſentimus.

nente, haud minimi noſmet gradus beatitudinis compotes experimur. Hinc videmus dolorem, quo in præſenti quis cruciatur, ſemper eſſe graviſſimum; nec ſine angore vociferantur; *Ah! aliud quodvis tormentum potius ſubirem, quam hoc: nihil adeo intolerabile eſſe poteſt, ac quod nunc patior*. Quapropter omnes curæ & appetitiones noſtræ in illud defixæ ſunt, ut ante omnia præſenti malo liberemur, a quo aditum ad felicitatem nobis intercludi arbitramur. In ea, qua afficimur, ægritudinis perturbatione, credimus, nihil poſſe excedere, pene dicimus æquare, dolorem iſtum, quem perſentimus: & quoniam ab oblata præſenti jucunditate abſtinere, dolor eſt; & quidem ſæpiſſime graviſſimus, cum objecti in conſpectu noſtro poſiti illecebræ animum incendant; haud mirum eſt, illud eodem modo operari, quo dolor ſolet, & in cogitationibus noſtris extenuare illud, quod futurum eſt; atque ita efficere, ut cæci cupiditate in amplexus iſtius ruamus (60).

§. LXV. His adde, bonum abſens, vel, quod idem ſonat, futuram delectationem, præcipue, ſi ejus ſit generis, quod nobis ignotum eſt, rariſſime poſſe ægritudinem aliquam doloris aut cupidinis præſentis compenſare; cum enim virtutis ejus moles nihil

(60) Quod *animi anguſtia*, ut ait Auctor, ſit cauſa noſtri erroris, nulli dubium. At quod eveniat ex eo quia animus eſt præſenti voluptate expletus, ratio eſt nimis confuſa, & nihil exprimit præter quid craſſum & materiale. Nos ergo putamus, errores noſtros hac de re provenire propter mentis brevitatem, quatenus ideas diſtinctas boni futuri, & certitudinis ipſius non habemus, vel in ratione iſtius defectus parvum bonum, inpræſentiarum habitum bono futuro etſi ingenti præferimus. Revera, quot ſunt qui gaudent præſenti miſeria ac dolore propter bonum futurum? Ratione repræſentationis diſtinctæ ipſius boni erga illud inclinamur & præſenti præponimus, ac ſemper præferentia eſt hæc cum ratione (40), per conſequens in proportione indigitata. (54 57. 59.)

hil aliud ſit, niſi quod in fruitione ipſa deguſtaturi ſumus, homines illud extenuabunt, ut eo promptius cuivis præſenti cupidini locum cedat; & ſecum ſtatuunt, illud fortaſſe, quando uſu tractandoque cognoſcetur; minus fore fama & opinione, quam homines de eo conceperunt, cum ipſimet ſæpius experti fuerint, non ſolum illud, quod ſermone aliorum celebratum fuerit, verum quod uno tempore maximo ipſis oblectamento fuit, alias nauſeam iis creaſſe; nihil itaque in iſto cernunt, cujus ergo voluptatem præſentem aſpernentur. *Judicium* vero hoc valde eſſe *erroneum*, cum ad vitæ futuræ beatitudinem accommodatur, fateantur neceſſe eſt, niſi dicent, DEUM non poſſe eos, quos velit eſſe, beatos efficere. Cum enim ſtatuerit, ut iſte eſſet ſtatus beatitudinis, eum ad ſuam uniuſcujuſque appetitionem accommodari neceſſe eſt; etiamſi ſupponeremus inter appetitus illorum eandem ibi fore diſcrepantiam, quam hic cernimus, cæleſtis tamen manna ſatis uniuſcujuſque palato faceret. Hactenus de falſo iſto judicio, quod facimus de delectatione & dolore tam præſente, quam futuro, quando interno comparantur; atque ita abſens, tanquam futurum, ſpectatur.

§. LXVI.

In actionum conſequentiis conſiderandis.

II. *Quod ad res attinet in conſequentiis ſuis bonas vel malas*, quæque aptæ ſunt ad bonum nobis aut malum in futuro comparandum, *variis modis perperam judicamus*.

1. Quando judicamus, haud mali tantum eſſe cum iis connexum, quantum revera eſt.

2. Quando judicamus, etiamſi conſequentia iſtius ſit momenti, nos tamen haud pro certo habere, quin aliter eventura ſit; aut aliquo modo devitari poſſit,

per

per induſtriam nimirum, preces ſupplices, morum mutationem, reſipiſcentiam, &c. has vero falſas eſſe judicandi rationes, demonſtratu facillimum eſſe, ſi ſuſe eas ſigillatim expenderem; verum hoc tantum ſummatim dicam, rem abſurdiſſimam eſſe, bonum majus pro minori periclitari, ſub conjecturis incertis, antequam debite examinaverimus, quanti ſit ponderis & momenti, & quantum etiam noſtra interſit, ut non decipiamur. Hoc, arbitror, unuſquiſque fateri neceſſum habebit, præſertim ſi, quæ vulgo afferuntur, *falſi hujus judicii rationes* expenderit, quarum quæ ſequuntur nonnullæ ſunt.

§. LXVII.

Cauſæ hujus.

I. I*Gnorantia*: qui judicat, priuſquam rem, quantum poteſt, momentis ſuis ponderaverit, nequit non ſibimet in falſi judicii ſuſpicionem venire.

II. *Non-animadverſio*: quando quis haud animum ad illud attendit, quod novit. Hæc affectata eſt & præſens ignorantia, quæ non minus, quam altera, judicia noſtra in errorem ducit. *Judicare* eſt quaſi computum inire, ut, ſubductis calculis, quænam ſit major ſumma, innoteſcat (61). Quod ſi pars utravis nimia feſtinatione uſa eſt, adeo ut variæ omittantur ſummæ, quæ numerandæ erant, præcipitatio hæc haud minus erroris cauſa eſt, quam ſi ignorantia plane eſſet. Hujus utplurimum cauſa eſt impetus præſentis alicujus voluptatis aut doloris, quem animi noſtri impotentia, per illud, quod præſens eſt, concitata, impetuoſiorem reddit. Ut huic præcipi-

(61) En quod nos præciſe, & ſub diverſa forma aſſeruimus.

cipitationi frænos injiciamus, intellectus & ratio nobis ſunt data, ſi modo iis recte uti velimus, ad deliberandum prius, denique judicium ferendum. Intellectus ſine Libertate nullius plane eſſet uſus, & Libertas ſine Intellectu, (ſuppoſito, hoc fieri poſſe) nihil ſignificaret. Si homo videt id, quod ipſi bono vel malo eſſe, quod ipſum felicem aut infelicem reddere poteſt, ſed qui interim haud valeret vel uno paſſu ſe ad alterum admovere, aut ab altero ſe amovere; num, quæſo, ideo melioris eſſet conditionis, quod habeat videndi facultatem atque uſum? Et, qui libertate huc illuc in ſpiſſiſſimæ obſcuritatis medio decurrendi gaudet, qua, quæſo, in parte hæc libertas ipſi utilior eſt, quam ſi ventorum arbitrio vel potius ludibrio expoſitus, ſicuti bullulæ in aquæ ſuperficie formatæ, jactaretur? Quod quis cæco quodam impulſu, qui ſive ex interna ſive ab externa proveniat parte, abreptus ſit, hæc differentia non adeo eſt magna. Hac ratione prius & maximus Libertatis uſus in hac inconſiderata præcipitatione reprimenda conſiſtit, & ipſius præcipuum eſſe debet negotium, ut ſe retineat, oculos aperiat, ſe circumſpiciat & in conſequentias ex eo, quod jam ſumus facturi, fluentes inquirat, ita, uti rei dignitas hoc poſtulat. Quantum ſocordia, & negligentia, turbidi animorum concitatique motus, uſus & conſuetudo vulgaris; aut acquiſita corporis mala habitudo ad falſa hæc judicia conferant, non hic ulterius exquiram. Unum tantum aliud falſum judicium addam, cujus mentionem neceſſariam eſſe puto, quoniam, etiamſi vis ejus late manat, non multum tamen animadvertitur.

§. LXVIII.

§. LXVIII.

Falſum judicium iſtius quod neceſſario ad felicitatem requiritur.

OMnes felicitatem expetere, extra dubium eſt; verum, ut ſuperius notatum eſt, cum ſoluti ſunt dolore, ſolent voluptate quavis uti, quæ ad manum eſt, quamve conſuetudo iis conciliavit; cumque ea ſint contenti, nihil ulterius quærunt, nec voluntas ad ullam actionem determinatur, quæ tenderet ad aliam quandam cognitionem aut aliud quoddam bonum apparens adipiſcendum, donec nova aliqua cupido, anxietatem pariens, felicitatem iſtam perturbat. Quoniam enim experimur, nos non omni bonorum genere ſimul frui poſſe, verum aliud ab alio excludi; haud omne majus bonum apparens appetimus, niſi ad vitam beatam illud neceſſarium eſſe arbitremur: ſi credimus, nos ſine eo felices eſſe poſſe, haudquaquam id nos movet. Alia adhuc hominibus falſi judicii hæc eſt anſa, cum putant, illud ad beatitudinem haud neceſſarium eſſe, quod tamen revera eſt; opinio hæc nos in errorem ducit tum in bono eligendo, quod propoſitum habemus, & ſæpiſſime etiam in mediis, quando illud bonum eſt remotum. Utcunque vero illud fiat, ſive in bono ipſo eligendo, ſive in mediis negligendis, tanquam non idoneis; illud tamen extra dubitationem eſt, quod omnes ii, qui aberrant a ſummo ſuo fine, qui eſt propria uniuſcujuſque felicitas, ſe perperam judicaſſe fateri debeant. Quod ad errorem hunc etiam plurimum confert, eſt realis aut tantum ſuppoſita actionum injucunditas, quæ via ſunt ad finem hunc; hominibus enim adeo præpoſterum videtur, in adipiſcenda felicitate ſe infelices reddere, ut non niſi inviti illud faciant.

§. LXIX.

§. LXIX.

Rerum jucunditatem aut injucunditatem mutare poſſumus.

POſtremo itaque quærendum ſupereſt, *utrum penes ſit hominem jucunditatem, & injucunditatem immutare; quæ aliquod genus actionum comitatur?* perſpicuum eſt, ipſum multis in caſibus poſſe. Homines poſſunt & debent etiam ſuum corrigere palatum, & ipſum efficere, ut accipiat guſtum de rebus, qui ipſi minime conveniebat, aut quem ſupponunt ipſi non convenire. Animi guſtus varius eſt & multiplex æque ac corporis, & iſtius ritu alterari poteſt; atque errant illi, qui putant, non poſſe homines propenſiones ſuas adeo mutare; ut in actionum acerbitate, aut indifferentia, delectationem & deſiderium inveniant, ſi tantum, quantum poſſunt, nitantur. Debita rei conſideratio hanc immutationem multis in caſibus efficiet; & praxis, applicatio, & conſuetudo in pleriſque. Poſſumus panem aut herbam Nicotianam aſpernari, licet ad ſanitatem hæ res conducere perhibeantur, propter indifferentem, aut ingratum amborum ſaporem; ſed ratio & conſideratio primum ea commendant, deinde uſus invenit, aut conſuetudo reddit jucunda. Rem ita ſe in virtute etiam habere manifeſtum eſt. Actiones jucundæ vel injucundæ ſunt, aut in ſe, vel ſpectatæ tanquam media ad præſtantius bonum adipiſcendum. Comeſtura cibi bene conditi, & ad cujuſvis palatum accommodati, poteſt mentem movere per delectationem ipſam, quæ actum edendi comitatur, ſine reſpectu ad finem ullum ulteriorem: huic ſi accedat voluptas ſanitatis & roboris (quæ per cibum iſtum comparantur) novo ſtatim guſtu afficimur, qui poteſt nos allicere ad ingratiſſimam quamvis potionem ſumendam. Poſteriori in caſu, actio quædam magis

aut

aut minus jucunda redditur, per contemplationem tantum finis, aut ex eo, quod perſuaſum habeamus, iſtam ad finem obtinendum conducere, vel cum eo connexam eſſe: ipſius vero actionis voluptas optime acquiritur, vel augetur per uſum & praxim. Conſuetudo res ſæpiſſime nobis conciliat, quas non ſine averſatione procul intuebamur. Habituum magna vis eſt, & tantis non facilitatis & jucunditatis illecebris ad ea pelliciunt, quibus noſmet aſſuefecimus, ut non poſſimus, aut ſaltem non niſi inviti, ab iis agendi abſtinere, quæ uſus quotidianus commendat. Etiamſi perſpicuum eſt, & ſua cujuſque experientia ipſum certiorem facit, ſe hoc poſſe; hoc tamen in vita moderanda, & felicitate quærenda eouſque negligitur, ut paradoxum forte videretur, ſi quis diceret, penes eſſe homines, res aut actiones magis minuſve jucundas efficere; atque ita mederi huic mentis diſpoſitioni, cui magna pars ipſorum errorum, jure optimo, tribuenda eſt. Cum falſæ notiones moribus hominum & communi opinione, & pravi habitus ab educatione & conſuetudine ſemel ſancitæ ſunt, juſta rerum æſtimatio invertitur, & corrumpunt hominum palata. Fas itaque & neceſſarium eſt, ut in hiſce medendis opera collocetur; contrarii etiam habitus voluptates noſtras immutant, atque iis guſtum impertiunt, quæ felicitati noſtræ conducunt. Hoc ſe penes eſſe, unicuique fatendum eſt, & cum felicitatis jactura ſemel facta eſt, & miſeria impetum in eum facit, ſemet erroris & negligentiæ ſtatim arguet: atque omnes teſtor, annon hoc ſæpius actum ab illis fuerit?

§. LXX.

§. LXX.

Vitium virtuti anteferre, manifeſtum indicium eſt falſi judicii.

HAud ulterius oſtendam, quomodo homines in errorem rapiantur, per *falſa Judicia*, & illorum neglectum, quæ in poteſtate habent. Ut hoc nimis prolixum foret, ita haud noſtri eſt inſtituti. Utcunque vero notiones falſæ, & erubeſcenda rerum incuria, quæ ſitæ ſunt in illorum poteſtate, homines e felicitatis curſu in tot diverſa vitæ inſtituta abducant; hoc tamen certiſſimum eſt, præcepta moralia, veris ſubnixa fundamentis, non poſſe non electionem ejus determinare, qui ſuis actionibus examinandis operam dare velit: ſi quis vero nolit ratione tantiſper uti, dum felicitatem & miſeriam ſempiternam animo evolverit, ſeipſum propterea condemnet neceſſe eſt, quod non, prout debuerit, ratione uſus fuerit. Præmia & ſupplicia vitæ futuræ, quæ ſancita ſunt a Deo, ut latis ab ipſo legibus major auctoritas accederet, ſatis efficacia ſunt ad electionem determinandam, contra vitæ hujus voluptatem aut dolorem quemvis, ſi futurus iſte ſtatus tanquam poſſibilis tantum ſpectetur, de quo nemini dubium eſſe poteſt. Si quis haud inficias iverit, poſſibile eſſe, ut felicitas ſempiterna vitam bene actam, aut contrarius huic ſtatus vitam flagitioſam ſceleratamque ſequatur, fateri cogetur, ſe perperam judicare, niſi concludat, vitæ ac morum ſanctitatem, cum certa expectatione beatitudinis ſempiternæ, quæ poſſibilis eſt, conjunctam, longe anteferendam eſſe vitæ ſceleratæ, cum metu horrendi cruciatus, quæ ſontium ſors eſſe poteſt: vel ad minimum cum terribili incertaque annihilationis ſpe connexæ. Hoc plane ita ſe haberet, etiam ſi probrum in hac vita nihil niſi dolor & anguſtiæ, improbum vero perpe-

tuæ

tuæ atque conſtantes voluptates manerent (62). Res vero ut plurimum longe aliter ſe habet, nec eſt, cur ſcelerati de præſenti ſua bonorum poſſeſſione glorientur; cum enim rerum momenta fuerint utrinque ponderata, ſors illorum vel in hoc ævo deterrima videtur. Cum vero beatitudo ſempiterna in una lance ponatur, in altera cruciatus infinitus; ſi peſſimum, quod pietatis cultori contingere poteſt; ſuppoſito, quod erret, ſit optimum, quod flagitioſus obtinere poſſit, ſi non fuerit deceptus, quis niſi demens periculum illud adiret? num quis mentis compos ſe miſeriæ infinitæ poſſibiliter futuræ exponeret, quam ſi forte effugerit, ex iſto periculo non niſi purum *Nihilum* lucrifaciendum eſt? Cum contrà vir bonus *Nihilum* periclitatur, in beatitudine infinita aucupanda, quam, niſi expectatio ipſius fuerit decepta, certo adipiſci debet (63). Hic, ſi ipſius ſpes bono nixa fundamento deprehenditur, ſempiterne beatus erit; ſi vero erraverit, haud miſer eſt, nihil perſentit. Contra, ſi res ita futura eſt, ut improbus cenſet, haud iſte felix eſt; ſi ſecus vero, in ſempiternum eſt miſer. Annon judicium illud in ſummo plane errore verſatur, quod non videt ſtatim, utra pars in hoc caſu ut potior eligenda ſit? Nihil hic diſſerui de futuri ſtatus certitudine, aut probabilitate, cum mihi propoſitum ſit palam oſtendere falſum illud judicium, quod ſe facere unicuique fatendum eſt ex ſuis ipſius, cujuſcujuſmodi ſint, principiis, qui vitæ flagitioſæ voluptates momentaneas quovis prætexu anteferendas cenſet, cum certo ſciat, vitam futuram ſaltem poſſibilem eſſe.

§. LXXI.

(62) *V. adn. 41. 53. uſq. ad 60.*
(63) Valet pro ſpiritu elato, magna virtute expleto. (29)

§. LXXI.

Anacephalæoſis.

UT finem imponam diſquiſitioni huic de *Libertate humana*, cui prout prius ſe habuit, ipſemet quidem verebar ab initio, & quidam mihi familiaritate conjunctus, vir acerrimo ingenio, poſtquam edita erat in lucem, ſuſpicabatur, errorem aliquem ſubfuiſſe, etiamſi haud iſtum ſigillatim indicare poſſet, idcirco neceſſum habui capitis hujuſce ſtrictius examen inire. Id agenti facilis mihi, & quidem vix perceptibilis error occurrit, in quem incidi, dum vocem aliam pro alia ſubſtitui, a qua haud viſa eſt diſcrepare: detectio iſta hanc mihi orationis telam aperuit, quam in hac editione literariæ reipublicæ cenſuræ ſubjiciendam cenſui, atque ita breviter ſe habet: *Libertas* est potentia agendi aut non agendi ſecundum mentis directionem. Potentia dirigendi *facultates operativas* ad motum vel quietem in particularibus inſtantiis, ea eſt, quam *Voluntatem* appellamus. Quod in voluntariarum actionum ſerie *Voluntatem* determinat ad operationis mutationem aliquam, eſt præſens aliqua *Moleſtia*, quæ *deſiderium* eſt, aut ſaltem *deſiderium* eam ſemper comitatur. *Deſiderium* ſemper per malum impellitur, ad illud declinandum; quoniam vacuitas omnis doloris felicitatis noſtræ partem neceſſariam ſemper conſtituit. Sed nullum *Bonum* ſi vel maxime ſit *excellentiſſimum*, excitat perpetuo Deſiderium, quoniam poteſt non facere, vel, quia poteſt conſiderari ut non efficiens quandam noſtræ felicitatis partem neceſſariam; & ſumma noſtrorum votorum eſt, ut felices ſimus. Etiamſi vero generalis hæc felicitatis *appetitio* conſtanter & invariabiliter in homine operatur; particularis tamen cujuſvis *deſiderii* expletio eouſque teneri poteſt in ſuſpenſo; ne voluntatem ad actionem,

qaam-

quamvis iſti accommodatam, determinet, donec mature expenderimus, utrum particulare illud bonum, quod appetimus, revera pars ſit felicitatis noſtræ, aut cum ea conſiſtere poſſit, nec ne. Quod a judicio noſtro poſt illud examen tandem ſtatuitur, illud eſt, quod hominem ultimo determinat, qui haudquaquam *liber* dici poſſet; ſi *voluntas* ejus per aliud quoddam determinaretur, præter ſuum ipſius *appetitum*, *judicii* dictatis obſequentem.

§. LXXII. Notiones veræ circa naturam ac extenſionem *Libertatis*, utiles adeo ſunt, ut ſperem, me hujus digreſſionis veniam impetraturum, in quam me iſtius explicandæ ſtudium adduxit. *Ideæ Voluntatis*, *Volitionis*, *Libertatis*, & *Neceſſitatis*, in capite hoc, quod circa *Potentiam* verſatur, ſemet natura ſua mihi tractandas obtulerunt. In priori editione Tractatus hujuſce, cogitationes meas ſuper iis, pro ea, qua tunc temporis rerum cognitione imbutus fui, ſcriptis tradidi: atque nunc tanquam veritatis, non meorum dogmatum cultor, fateor ingenue, me a priſtina opinione aliquantulum receſſiſſe, cujus jam rationem oſtenſam eſſe puto. In iis, quæ prius in publicum miſi, ab omnibus præjudiciis liber, veritatem ſecutus ſum, ubicunque ea mihi præire viſa eſt. Cum vero non adeo ſim vanus, ut me non errori obnoxium eſſe putem, nec parum adeo ingenuus, ut errores ſilentio diſſimulem, ne forte famam & exiſtimationem meam læderem, eodem veritatis ſtudio tantum incitatus, ſine ulla erubeſcentia illud in publicum nunc mitto, quod mihi ſtrictius examen ſuggeſſit. Fieri facile poteſt, ut nonnulli priores notiones meas veras eſſe credant, nonnulli (prout antea comperi) poſteriores haſce, & nonnulli neutras illarum. Hæc ſententiarum diſcrepantia in hominibus mihi mira non videtur: cum in rebus controverſis ſine omnibus præjudicatis opinionibus raro judicetur, & deductiones accuratæ diffi-

ciles adeo ſint in notionibus abſtractis, præſertim ſi ſint longiuſculæ. Quapropter me maximo beneficio cuivis obſtrictum crederem, qui, de hiſce a me fundamentis poſitis, aut aliis quibuſvis principiis examen inſtituens, diſſertationem hanc de *libertate* ab omnibus, quibus adhuc involuta eſt, difficultatibus expediret. Ceterum antequam huic capiti impono finem, non alienum nec inutile fore credo, ſi paulo accuratius in id, quod *Actionem* vocamus, inquiſiverimus, ut hac ratione multo diſtinctiores *Potentiæ* ideas nobis formare habereque poſſimus. Principio jamjam hujus capitis (*Vid. hujus Cap.* §. 4.) commemoravimus, duo eſſe *Actionum* genera, de quibus habeamus ideam, ſunt nimirum *Motus* & *Cogitatio*. Quanquam vero his duabus rebus nomen *Actionis* tribuitur, eædemque ita conſiderantur, inveniemus tamen, ſi paulo penitus illas excuſſerimus, hanc qualitatem non ſemper ipſis plane convenire. Et niſi me omnia fallunt, dantur harum ſpecierum duarum quædam, quæ, curatius examinatæ, *Paſſiones* potius, quam *Actiones*, & conſequenter ſimplices potentiarum paſſivarum in ſubjectis, quæ tamen revera, ſuis occaſionibus, Agentia haberi poſſunt, effectus deprehendentur. Nam in his exemplis Subſtantia, in qua motus vel cogitatio reperitur, recipit ab externa parte impreſſionem, qua ipſi actio communicatur, & illa hac ratione nihil agit, niſi per ſolam capacitatem recipiendi ejuſmodi impreſſionem a quoddam externo Agente (64); ut hoc pacto *Potentia* proprie non ſit in ſubjecto Potentia activa, ſed mera capacitas paſſiva. Nonnunquam Subſtantia vel

(64) Quid reſponderet Wolfio, Leibnitioque, qui ſubſtantiam vi activa gaudere per eſſentiam dicunt ((*l*) p 134.)? Quid Newtono, Newtonianiſque omnibus, qui vim motricem naturam corporis conſtituere, aſſerunt?

vel Agens ex propria potentia in actum procedit, & ſic revera eſt *Potentia activa*. Vocatur *Actio* omnis modificatio, quæ invenitur in Subſtantia, & cujus beneficio illa quendam producit effectum; verbi cauſa, ut Subſtantia ſolida agat ope motus in Ideas ſenſibiles alterius cujuſdam Subſtantiæ, aut ibi quamquam alterationem operetur; huic motus modificationi nomen *Actionis* impertimur. Interea, ut rem bene conſideremus, hic motus in hac Subſtantia ſolida non niſi ſimplex quædam paſſio eſt, ſi hunc unice a quodam externo Agente recipit. Et conſequenter *Potentia activa* movendi in nulla Subſtantia deprehenditur, quæ, cum in quiete ſit, motum in ſe aut in ulla alia Subſtantia incipere nequit. Eadem ratione, reſpectu *Cogitationis*, potentia ideas aut cogitationes per operationem externæ cujuſdam Subſtantiæ recipiendi vocatur *Potentia* cogitandi; ſed, accuratius loquendo, non niſi *Potentia paſſiva* aut ſimplex capacitas. Verum potentia Ideas abſentes pro lubitu revocandi & inter ſe illas comparandi, quæ ad propoſitum facere nobis videntur, hæc eſt vera *Potentia activa* (65). Hæc conſideratio nobis eſſe poteſt præſidio, ne in errores, ratione horum vocabulorum *Potentiæ* & *Actionis*, incidamus, in quos Grammatica & ordinarius linguarum modus nos facile implicare poteſt, quoniam illud, quod ſignificatur per *verba* Grammaticis nominata *Activa*, non ſemper ſignificat *Actionem*. Exempli gratia: Propoſitiones, *video Lunam*, aut, *ſtellam*; *ſentio calorem Solis*, licet exprimantur verbo activo, non tamen in memet ullam actionem, qua in has ſubſtantias operarer, ſignificant; ſed tantummodo receptionem idea-

(65) Eſt potentia activa tam in commemorando quam in percipiendo, cogitando &c. quidquid afferat Lockius, vel hic afferere curet. (4. ſ. 2.)

idearum luminis, rotunditatis & caloris; qua in re non deprehendor activus, ſed mere paſſivus; ut ita, poſito eo ſtatu, in quo ſunt oculi mei, aut corpus meum, non poſſim non has ideas recipere. At vero quando oculos meos in aliam partem retorqueo, aut ſi corpus meum radiis ſolaribus ſubtraho, tunc proprie ſum activus, quoniam mea voluntate, & potentia iſta, quam in me habeo, mihi hunc motum præſto, & ejuſmodi actio eſt productio *Potentiæ activæ* (66).

§. LXXIII. Hoc modo in brevi tabella originales iſtas *ideas* exhibui, e quibus reliquæ omnes derivantur, & conficiuntur; quas ſi contemplarer, prout Philoſophus ſolet, ſi cauſas illarum examinarem, & a quibus conflatæ ſunt, omnes, credo, revocari poſſent ad pauciſſimas haſce *primarias*, *&* *originales ideas*, nimirum,

Extenſionem,
Soliditatem,
Mobilitatem; aut τὸ poſſe moveri;

quæ per ſenſus a corpore recipimus:

Perceptionem, aut potentiam animadvertendi vel cogitandi; &
Potentiam movendi;

quæ per reflexionem a mentibus recipimus; quibus ſi addamus:

Exiſtentiam,
Durationem,
Numerum;

quæ ad utrumque pertinent, omnes fortaſſe originales *ideas* complectuntur, a quibus reliquæ omnes pendent. Has enim ſatis fore puto, ad colorum, ſonorum, ſaporum, odorum, & omnium, quas habemus, *idea-*

(66) Recordamini quod diximus de vi & potentia (7) Locxius percipit diſcrimen, & hoc modo ſuam explicat mentem.

idearum naturam explicandam, ſi modo facultatum noſtrarum vis ſatis acuta foret ad percipiendas diverſimode modificatas extenſiones, & motus, minutorum corpuſculorum, quæ diverſas ſenſationes iſtas in nobis producunt. Cum vero mihi propoſitum ſit impræſentiarum inveſtigare tantum cognitionem rerum, quam mens adipiſcitur per *ideas* iſtas, & *ſpecies*, ad quas ab iis recipiendas aptata eſt a Deo, & quomodo mens cognitionem iſtam aſſequatur; potius quam cauſas illarum, & productionis modum perſcrutari. Haud ego, contra *Tentaminis* hujuſce inſtitutum, operam collocabo in peculiari corporum forma ac temperatione, & partium configuratione philoſophice exquirenda, unde potentiam habent ſenſibilium ſuarum qualitatum *ideas* in nobis producendi: haud ulterius iſta diſquirere pergam; noſtro inſtituto ſat eſt obſervare, auro, vel croco potentiam ineſſe flavi: nivi, aut lacti vero albi *ideam* in nobis producendi, quam oculorum tantum adminiculo adipiſcimur, ſine ullo examine texturæ partium iſtorum corporum; aut definitarum figurarum, aut motus particularum, ab iis reſilientium, ad particularem iſtam ſenſationem in nobis excitandam; etiamſi ubi ultra nudas *ideas* in animis noſtris progredimur, & illarum cauſas ſcrutari vellemus, haud concipere poſſumus aliud quid in ſenſibili quovis objecto ineſſe, per quod *ideas* diverſas in nobis producat, præter diverſam molem, figuram, numerum, texturam, & motum partium iſtius inſenſibilium.

tiam voluptatis habitæ reſpiciat. Quid accidit interim? Anima facultate, qua eſt prædita, ſibi repræſentat mutationes ſui corporis: perpendit objecta, e quibus productæ fuere, & effectus in cauſis reſpiciendo (*b*) eos comparat, arguit, dijudicat. Si potis eſt hos effectus ſecuturos ab objecto voluptuoſo ſibi repræſentare, cum fuerint ſuo fini contrarii, ſentit averſionem; econtra, ſi nequeat poſtea eos imaginare, tendentiam. Mutato ordine his rebus perpenſis, contrarium arguitur; nimirum ſi objectum, quod mutationem ingratam excitando effectus fini noſtro reſpondentes relinquit, & hos concipit anima, atque ſibi repræſentat, erga illud ſe fert, e contrario ab illo reclinat. Actus animæ in hac reclinatione, vel in illa tendentia contectus in conſequentia ſenſationis in præſentiarum habitæ appetitus *ſenſitivus* dicitur; ille, qui perficitur in conſequentia abſtractæ repræſentationis vel effectuum, qui ſunt ſubſecuturi, *rationalis* appellatur.

Adſunt nonnulli philoſophi, qui hanc diſtinctionem in medium afferunt, non ut a diverſis rationibus erutam, ſed ut actum diverſum a diverſo principio productum. Appetitum rationalem ad animam pertinere, ajunt; ſenſualem poſtea, ad quid incognitum & materiale, quod brutis tantum ineſſe, exiſtimant (*c*). Vos voſipſos perpendite, & actiones veſtras agnoſcite. Quid in vobis invenietis? Tendentiam ad bonum (*d*). Quomodo hoc bonum vobis conſtare, creditis? Niſi animi fallor, repræſentatione objecti in præſentiarum habita, vel renovatione, ac memoria illius, quæ pro grata olim tenuiſtis. Hinc Helvetius, ut adnotavimus (*e*), omnia ad *ſenſationem*, inquit, ac ad *memoriam* eſſe redigenda. Videtis ergo quid vos moveat erga bonum, & a malo, generatim conſiderato, vos reclinet. Nihil aliud nimirum, quam perceptio, vel memoria habitæ perceptionis. Quid ad rem, quod vos recordamini nec ne de effectibus ſubſecuturis, vel omnes minimas notas, ac differentias mutationis productæ perpenditis? Pendet primum a quadam organorum diſpoſitione (*f*), ſecundum ab animæ actu impreſſionibus ab objectis productis applicito (g), & hoc illove modo modificato (*h*), per

(b) *V. adn.* 125. *pag.* 311. (x) *pag.* 220.

(c) *V. Baum Inſt. met cap. IV. de animabus brutorum* § 762.

(d) *Simulac objecta ſpecies cuipiam eſt, quæ bona videatur ſtatim ad adipiſcendam eam impellit ipſa natura*. Cic. (*V. Tuſcul. lib.* 4. *cap* 6.)

(e) *V. adn.* a *tom.* 2. *pag.* 20.

(f) *V. adn.* 34. *tom.* 2.

(g) *V. adn.* (αα) *tom.* 1.

(h) *V. pag.* 54. 55. *tom.* 2.

conſequens a copia, mobilitate ſpirituum, fibrillarumque cerebri elaſticitate, ac habitu animæ ſibi notas minimas repræſentando, acquiſito. Videtis ergo, quod actus appetendi generatim conſideratus oritur ab eodem animæ actu, & juxta ipſius modum appetitus ipſe modificatur. Sed ut æquo pergamus pede, nos ad nos ipſos denuo regrediamur.

Tactu nobis oritur quædam grata mutatio; anima ex ſua intimaque natura ea fruitur, & ad illam continuandam ſe impellit. At ſi percipit, quod ex hac fruitione aliquid in poſterum fuit paſſa, vel eam educationis cauſa conjunxit cum idea doloris in poſterum tolerandi, tum perpendit ingratam ſuppoſitam mutationem, & habitu ratiocinandi acquiſito, quodam rapido modo cum grata comparat, & arguit exceſſum. Si credit ergo, quod ingrata in poſterum toleranda vel intenſitate, vel diuturnitate, vel utraque ſimul, gratam actu perceptam excedit, vi hujus repræſentationis ab hac reclinat, & conſequentiam in cauſa reſpiciens, exceſſum ingratæ ſenſationis, omni voluptate deſtructa, mutationi ipſi tribuit, qua aliter actu fruita eſſet; econtra, ſi educatione percepit, vel experientia fuit experta ex ingrata quadam ſenſatione aliam gratam eſſe ſubſecuturam, comparatione facta, ſi intenſitate, diuturnitate hanc illam excedere, credit, etſi actu patiatur, attamen, dicta ratione, paſſio hæc in voluptatem vertitur, & vi hujus repræſentationis ad eam inclinat. Hic animæ actus in accedendo, vel recedendo, ad objectum, vel ab objecto, eruitur ab ideis acquiſitis, ut, & a quadam energia, ope cujus ideæ ipſæ excitantur, renovanturque. Hic animæ actus modificatur ergo juxta numerum, ac qualitates idearum, quæ fuere acquiſitæ, ut & juxta vivacitatem, qua ſibi renovantur. Hic animæ actus ad plura applicatus, quo ex præmiſſis conſequentia eruimus, & prima ſecundis comparamus, *rationalis* dicitur, & *voluntas* (i) communiter appellatur (*). Omnibus verſatilis eſt, ut ipſam rationem verſatilem eſſe demonſtravimus (k). Quam ob rem videtis non differre ab illo, quem ſenſitivum appetitum appellant, niſi ratione numeri idearum, & habitus ratiocinandi, vel ideas ſibi repræſentandi, nam ſi veritatum nexus vel facultas eum percipiendi deficit, nihil anima reſpicit præter ea, quæ actu percipit. Ex dictis oritur, fruſtraneam

(i) *V. adn* 40.

(*) Adnotetur, quod juxta Lockium, hic actus, quo imperatur, vel prohibetur aliquid, *volitio* dicitur; *potentia*, qua quid admittitur, vel conficitur *voluntas*.

(k) *V. adn.* 28. *tom.* 1.

neam eſſe diſtinctionem inter appetitum rationalem, & concupiſcibilem, vel ſenſitivum dictum, & huic non eſſe quam ipſam voluntatem (*). Si poſtea me hic interrogetis, quid ſit hæc voluntas, quid hic actus? hic nihil aliud reſpondere ſciam præter quod Lockius hac de re aſſeruit; hoc eſt, animæ facultas, qua potis eſt juxta ſuam determinationem quaſdam actiones producere, & conatus facultatis ipſius eas actu producendi, continuandi, vel ſuſpendendi. Si iterum a me quæratis, unde oriatur inclinatio vel reclinatio illa, reſpondeo audacter ex voluntate artificis, quæ voluit hac facultate præditam animam creare, & ex repræſentatione, quæ objectorum ope conficitur. Si adhuc expoſcatis, an neceſſario tendentia, vel reclinatio ſuccedat; facta ejuſmodi repræſentatione, ego pari promptitudine affirmative reſpondebo. Creditis ergo, libertatem hominis ruere? Toto cælo aberratis. Sed ut melius mea cogitata evolvam, paulisper meditemur.

Antequam homo externorum objectorum actioni ſit expoſitus, & dicam quoque, ſi eum fingamus, intrinſecis mutationibus deſtructis, nihil in ſe percipere, ita ut nullam ideam in ſe adinveniat, anima tum in ejuſmodi lethargo poſita, neque ſcit, neque internoſcit quicquam, omnia pro ea ſunt æqualia, indifferens jacet, nec huc illucque inclinat (*l*), & dici poteſt, eam omnium idearum ſuſceptibilem, juxta omnes poſſibiles directiones, non ſecus ac corpus ſeſe poſſe dirigere: hac ergo ſola differentia, quod corpus ab extrinſeco, anima ab intrinſeco & propria vi dirigatur. Hæc indifferentia igitur & potentia ſe dirigendi, actionemque pandendi juxta ſuas determinationes, quibus adhæret, ut paulo ante diximus, nobis *ſpontaneitatis*, ac ideam *libertatis* ſuppeditat; mutatione quadam in organo ſenſorio produſta, anima concutitur, vel melius, cum omnia in ſuo corpore videat, videt novum ſtatum ab objecto intrinſeco, vel extrinſeco productum; ſi ſuo fini reſpondet, vel clarius, non deſtruendo, vel delaxando, fibras exercet (*m*), cum hoc ad ſui corporis perfe-

---

(*) Adnotandum, quod hic confunditur actus cum potentia, nimirum *voluntas* cum *volitione*, ut ait Lockius, at recte id fieri credimus. Potentia conſideratur tanquam iners, nec percipitur quam ratione actus; per conſequens debet cum actu ipſo confundi.

(l) Quo inclinat, ſi nihil percipit? Quid percipit, ſi deſunt objecta? (108. *tom.* 1.)

(m) *V. Med. de pulchr. tom.* 2. *pag.* 119.

ſectionem concurrat, vi propria gaudet (*n*), & libere tendit ad ſtatum ipſum continuandum. Longe igitur, ut credit *Malebranchius*, a ſupponendo motum indeterminatum erga bonum in generale (*o*), & pro reali ſumendo, ut vult *Condillac*, ſimplicem abſtractionem ideæ collectivæ (*p*), eſt potius enodandum complexum uſque ad ſenſibilitatis elementa, & boni malique exiſtentia reducenda ad veritatem ſenſationis, a ſummo Auctore largitæ, ut inſtruatur ſpiritus objectorum proprietatibus, quæ conſervationi humanæ prodeſſe, vel nocere poſſunt. Ex dictis eruitur, quod Animus in memoria ſenſationum fluctuans, antequam ad ipſas ſenſationes adhæreat, gradus ſuavitatis vel doloris, ut & hujus illiuſve intenſitatem, diuturnitatem ac certitudinem perpendit. Actus hic, in quo ſuſpenditur anima, libertatem conſtituit. Hinc eſt, quod ſenſationes non ſunt motiva quatenus ſpiritum impellant, ac dirigant, ut corpus corpus movet, ſed quatenus repræſentatione confecta, anima ſenſationes examinat & pro meliori ſui exiſtentia ſe juxta eas delibérat. Hinc quando hoc efficit, pretium libertatis ſuæ internoſcit.

Neceſſitas oppoſitum libertatis eſt & quando dicimus hoc illudve neceſſario oriri, libertatem ipſam excludimus Verum ut nos noſtra cogitata dilucidemus, operæ pretium eſt, hic diſtinguere neceſſitatem phyſicam a neceſſitate morali: pro illa nihil aliud intelligimus, quam exiſtentiam effectus in conſequentia actionis alicujus principii; pro iſta exiſtentiam ipſius effectus in conſequentia ſumtæ determinationis principii, quod agit; per conſequens ſenſationes motiva ſunt, & faciunt neceſſario agere animam, quatenus neceſſitate morali, ſupponitur, non verum neceſſitate phyſica. „ Rationi conſentaneum eſt, ait Leibnitius, „ diſtinguere neceſſitatem, quæ ſapientem obligat ad bene agendum, & dicitur *moralis neceſſitas*, quæ apud Deum quoque eſt, „ a *neceſſitate cæca*; quapropter *Epicurus*, *Strato*, *&c.* credidere, res exiſtere abſque intelligentia, & electione, per conſequens Deo deficiente, quo Mundus non eget, ut illi arbitrabantur, nec hac neceſſitate vigente, omnia per ſe exiſterent „ neceſſario, ut neceſſarium eſt *duo & tres* ſummam *quinque* efficere, & hæc neceſſitas abſoluta eſt, nam omnia, quæ ſecum „ trahit, neceſſario eveniunt: pro eo quod accidit per hypotheticam neceſſitatem, accidit in conſequentia ſuppoſitionis, hoc „ vel

(n) Ratio hujus eſt in voluntate ſummi Artificis, qui voluit animam ejuſmodi creare.

(o) *V. de la Recherche de la verité Livr.* 1. *chap.* 1.

(p) *V. traité des ſiſtem. chap.* 7.

„ vel illud reſolvi, prævideri, vel fieri propter prævium con„ ſilium, & quod moralis neceſſitas ſecum trahit, rationis debi„ tum, quod ſuum parit effectum in ſapiente. Hæc neceſſitatis „ ſpecies, felix eſt, atque optabilis, quando bonæ rationes du„ cunt ad agendum, ut convenit; at cæca abſolutaque neceſſi„ tas everteret pietatem ac moralem (q) „. Hinc videtis quod libertas hominum panditur in omnibus ſuis operationibus, etſi in conſequentia ſenſationum agatur. At ulterius progrediamur.

Si libertatis exercitium vetatur, *Cohibitio* eſt, ut philoſophi ajunt; ſi vetato exercitio, ad oppoſitum voluntatis agentis quamdam actionem obligat, abſoluta *Coactio* dicitur; ſi demum intentioni agentis irreparabile malum opponitur, & permittitur fieri electionem, alterna *coarctatio* appellatur. Non deſunt inter philoſophorum turbam, qui credunt, coarctatione conceſſa, etſi reliqua negarent, ut libertatis notionem tuentia, poſſe libertatem ipſam defendi. Pace tamen illorum omnium, qui hoc modo cogitant, non eſſet tum omnis libertas, quam credunt adeſſe. Quid libertatis poteſt imaginari homini inter bivium poſito, & cui imponitur alterutrum ſumere? Nullam profecto libertatem in illo invenietis, vel ſaltem multo tenuem, quæ pro nihilo debet reputari. Nos ergo cenſemus, nullam coarctationem extare, & mentem vi propria, ac pro bono ſuo agere, nec eſſe quod eam moveat præter ipſam voluntatem, quæ eruitur a boni perceptione.

Nullum libertatis adminiculum in eo eſt, quidam ſophiſticus ait (r), qui ab evidenti tormentorum bellicorum periculo ſe retrahit: *inſtinctus propriæ conſervationis obligat neceſſitate abſoluta ſuorum membrorum ſtragem evitare*. At non vidit ille, hoc accidere in determinatione principii agentis, ex eo quia non ſibi repræſentat, præter bonum phyſicum, vel ut enodavimus, præter ſenſationem ingratam, quam poſſet pati, per conſequens non aliud videndo, illam effugere decernit. *Regulus*, *Decius*, ceterique heroes, qui ſe morti objecerunt, ejuſmodi abſoluta neceſſitate cur non fuere penetrati? Procul dubio eſt, eos propria determinatione periiſſe; ubi erat illis inſtinctus? Si vos omnia perpenditis, rationem invenietis in vivaci repræſentatione cæterorum, quæ ut bona ſumta ad id eos determinarunt, ut & qui periculum aufugiunt, ex repræſentatione periculi, ut maximum malum percepti, nulla habita relatione ad conſequentiam periculi, vel ad obligationem, qua obligantur. Verum, ut

(q) *Reflex. ſur le livre de Monſieur Hobbes de la neceſſité* §. 3.
(r) *V. Queſtions ſur l' encicloped. art. liberté*,

ut melius hoc libertatis articulum enodemus, meditationes in quaſdam regulas, ac propoſitiones abſtractas protendamus.

Eſt uberrime demonſtratum, quod propoſitiones generales, quot quot ſint, ex peculiaribus ideis emergant (*f*), ut & cogitatio mali *moralis* ex experientia noſtri boni ſenſibus acquiſita originem agnoſcat (*t*). Hinc fateri poſſumus, analyſim moralis ſyſtematis conſiſtere in ſimplices facultatis actus reddendo, uſque ad ideas ſenſibiles, & collectionem integram, nec non mechanicam eorum omnium, quæ prima elementa conſtituunt, ad unicum punctum, quod ut ſubſtentaculum habetur, revocare. Ex apice hujus claræ ſpeculationis, ingentem horizontem, qui hominis rationem (*u*) circumdat, contemplando, tot concentrici circuli deſcribuntur, quot adſunt objecta, quibus dari poteſt quidam ordo qui dependentiæ eis reciproce reſpondeat. Hujus intellectualis cultus contextum a materialibus ſenſibus acquiſitum, & a diſpoſitione cerebri, propter quam hæc materialia acumini mentis facillime præſentantur, dependere, obſervavimus (*x*). Si ergo, ex quovis principio oriatur, nequeat homo ab effectibus ad cauſas pervenire, & utrorum eſſentiam percipere, tum ad *veritatum* centrum ſuum non impingens acumen, eas perſpecte cernere nequit. Ut humanæ intelligentiæ debilitati huic repararetur, & omnibus ſint officiorum regulæ præſentes, ratio conſuluit, pro ſenſationem characteribus, quæ ſemper homini non adſunt, communem menſuram invenire, cui aptari poſſit idea voluptatis vel doloris & circa præferentiam cum ratione judicare. En ergo ut homines quantitatem ac qualitatem boni poſitivi ad æquationem relativam reducendo & animi facultas per libertatis ſpatia vagans bonum phyſicum reſpiciendo ſemper habita ratione ad rectitudinem vel obliquitatem actuum facultativorum, ideam complexam boni, vel mali *moralis* efformarent. Videntes demum, quod apud omnes facultas non erat, analyſim hujus boni, vel mali moralis contemplandi, humana ratio excogitavit propoſitiones quaſdam, quibus ope animæ facultatis ideas ligandi, bonum vel malum morale connecteretur, & omnibus in memoria reponantur. Hinc eſt, quod propoſitiones hæ non omnibus pariter vigent, nec omnium actiones juxta eas pariter determinantur.

Duabus rationibus id evenire videmus, 1. ex facultate reſolven-

(f) *V*. 29. *tom*. 1.
(t) *V*. 65. *tom*. 1.
(u) Ratio *ſubjectiva* (*V*. 28. *tom*. 1.).
(x) *V*. 108. *tom*. 1. 32. 33. *tom*. 2.

vendi ideas: bonum cum bono comparando, ratione diuturnitatis, intenſitatis &c. ejus gradus perpendendo. 2. ex vi imaginativa, quæ bonum propoſitioni ligatum, vivacitate quæ requiritur, ut tota ejus extenſio percipi poſſit, in propoſitione ipſa reſpiciat. Prima ratio apud doctos homines locum tenet, ſecunda apud idiotas, & phantaſia permagna præditos. Gradus, quibus imaginatio, vel diſtincte percipiendi modus adeſt vel deficit, metiuntur gradus hominum operationum, quæ in bonum vel malum morale conficiuntur. Hinc videtis, quod non *inſtinctus*, non *cohibitio*, non *coactio*, non *coarctatio* demum in hominum operationibus partem habent, ſed tantum determinatio ipſius mentis, quæ eſt juxta repræſentationem, quam ſibi efficit. Videtis, facultatem animi huc illuc ſuas impellendi vires liberrimam eſſe, & effici ſemper in conſequentia rationis (*y*). Videtis, diverſitatem operationum progigni pro diverſitate idearum præhabitarum, & facultatis eas vivificandi, reſtaurandique, quam homines habent. Videtis demum, quod moraliter agere, contra ſenſibilia objecta voluptatem excitantia, oritur ex exceſſu perceptionis boni abſentis, & ſpei illo fruendi, ſupra perceptionem boni præſentis, & certitudinis gaudii, quo actu fruitur (z). Hinc ſi licet moralia ingredi, videtis *Gratiam efficacem* nihil aliud eſſe, quam illuminationem mentis, qua verum bonum percipiatur, vel phantaſiæ inflammatio, qua homo contempletur bonum in propoſitione quadam ligatum, & bono ſenſibili præferatur; per conſequens, homo liberrime agit ſe ad Deum ferendo in excluſione omnium ſenſibilium bonorum, & gratia non eſt quam principium ſuæ determinationis, vel ſi hoc male alicui ſonet, *ratio* ipſius determinationis dicatur.

CAP.

(y) *V. adn.* 40.
(z) *V. adn.* 41. 57. 59.

C A P. XXII.

De Modis Mixtis.

§. I.

Modi mixti quid.

CUm in ſuperiori capite *Modos Simplices* tractaverimus, & illorum, qui principem inter illos locum obtinent, varia exempla tradiderimus, ut oſtenderemus quid ſint, & undenam eos adipiſcamur: proxime ii conſiderandi ſunt, quos *Mixtos Modos* vocamus, cujus generis ſunt *ideæ* complexæ, quas ſignamus per voces *obligationem*, *ebrietatem*, *mendacium*, *&c.* quæ conſtant ex variis complexionibus *idearum* ſimplicium, quæ diverſorum ſunt generum (67). *Modi* vocantur *Mixti*, ut eos diſtinguerem a modis ſimplicioribus, qui conſtant ex *ideis* tantum ſimplicibus, ejuſdem generis. Cum modi hi mixti tales etiam ſint complexiones *idearum* ſimplicium, quales non cenſentur eſſe notæ characteriſticæ entium ullorum realium, quæ ſtabilem & certam habent exiſtentiam, verum vagæ & independentes *ideæ* a mente conjunctæ, per illud diſtinguuntur a complexis *ideis* ſubſtantiarum (68).

§. II.

(67) *V. adn.* 39. *tom.* 2.
(68) *V. adn.* 41. *tom.* 2.

§. II.

A mente fiunt.

MEntem, *idearum* ſimplicium reſpectu, eſſe pure paſſivam, easque omnes a rerum exiſtentia & operationibus recipere, prout a Senſatione aut Reflexione offeruntur, ipſam vero haud poſſe unquam quandam *ideam* efficere, experientia docet (69). Si eas vero, de quibus nunc ſermo eſt, ideas attente conſideremus, quas *Mixtos Modos* appello, videbimus originem illarum longe diverſam eſſe. *Mens* ſæpiſſime *potentiam activam exercet in* variis *hisce complexionibus efficiendis*; cum enim ſimplicibus *ideis* ſemel ſit inſtructa, poteſt eas multimodis inter ſe componere, atque ita *idearum* complexarum varietatem magnam conflare, haud prius examine ullo inſtituto, utrum in natura ita ſimul exiſtant, nec ne. Hinc, arbitror, eſt cur *ideæ* iſtæ *Notiones* appellentur; quaſi ortum, & conſtantem exiſtentiam magis in cogitationibus hominum, quam rerum natura haberent: atque ad ejuſmodi *ideas* formandas, ſatis illud viſum eſt, mentem partes illarum in unum conjunxiſſe, easque in intellectu ſubſiſtere potuiſſe, nullo habito reſpectu ad realem illarum exiſtentiam. Etiamſi haud inficior fieri potuiſſe, ut plurimæ illarum ab obſervatione deſumantur, atque variarum ſimplicium *idearum* exiſtentia ita conjunctarum, ut in intellectu conjunguntur; qui primus enim *Hypocriſeos ideam* effinxit, deſumere iſtam potuiſſet a cujuſdam obſervatione, qui perſonam fictam ſuſtinuit, & dum intus malus fuit, bonum ſe palam oſtendit: vel in mente denegari potuiſſet, ſine ulla re, cujus ad

(69) Nullam ideam nanciſcitur mens, concedimus; ergo mens paſſiva eſt in ideis ſimplicioribus, recte negamus (4. *tom.* 2.).

ad exemplar effingeretur (70). Perſpicuum enim eſt, in prima linguarum origine & conſociationis atque communitatis hominum, plurimas e complexis *ideis* iſtis, quæ recepta inter eos inſtituta conſecutæ ſunt, in animis hominum prius neceſſario fuiſſe, quam alibi exiſtebant, & plurima nomina, quæ pro ejuſmodi *ideis* complexis ſubſtituebantur, uſurpata, atque ita *ideas* iſtas efficatas fuiſſe (*), antequam complexiones, quas ſignabant, unquam exiſtebant.

§. III.

Nonnumquam per nominum eorum explicationem adipiſcuntur.

NUnc equidem, poſt linguarum ortum, quæ abunde ſatis vocum habent ad complexiones iſtiuſmodi ſignandas, *ratio uſitata, complexas haſce ideas adipiſcendi eſt, per explicationem terminorum, qui pro iis ſubſtituuntur*. Cum enim e multitudine conſtent *idearum* ſimplicium conjunctarum, poſſunt per voces, quibus iſtæ exprimuntur *ideæ* ſimplices, menti cujuſvis repræſentari, qui voces iſtas intelligit, etiamſi complexa iſta *idearum* ſimplicium combinatio menti nunquam foret oblata per realem rerum exiſtentiam. Hoc modo quis *ſacrilegii* aut *homicidii ideam* nanciſci poteſt, cujus in conſpectu neutrum illorum perpetratum fuerit, ſi ſimplices *ideæ*, pro qui-

(70) *V. adn.* 30 *tom.* 2.

(*) Ponatur *ex. gr* quod primus homo fecit legem contra paratum, quod conſiſtit in interficiendo matrem vel patrem, quapropter vocem *Parricidii* illud deſignavit, clare videtur, ideam complexam, quam vox parricidii denotat, non ſtatim extet, quam in legislatoris ſpiritu, & illorum, quibus fuit modificata. *COSTE*.

quibus voces iſtæ ſubſtituuntur, ſigillatim ipſi enumerentur (71).

§. IV.

Nomen partes modorum mixtorum in unam ideam adunat.

CUm *modus* unuſquiſque *mixtus* e plurimis diſtinctis *ideis* ſimplicibus conſtet, quæri poteſt, *undenam unitatem ſuam nanciſcatur*, & quomodo fiat, ut præciſa ejuſmodi multitudo unicam tantummodo *ideam* efficiat, cum iſta complexio haud ſemper in natura ſimul exiſtat: hoc fieri perſpicuum eſt, per actum mentis varias iſtas ſimplices ideas componentis, eaſque conſiderantis tanquam unam complexam, e partibus iſtis conflatam; hujus unionis nota, vel, quod eam efficere vulgo cenſetur, eſt nomen unum complexioni iſti impoſitum. Homines enim rationem iſtam, quam diſtinctarum ſpecierum modorum mixtorum reddunt, per nomina illorum, utplurimum dirigunt; rariſſime enim concedunt, ullum numerum *idearum* ſimplicium complexam unam efficere, præter collectiones iſtas, quibus exprimendis nomina ſuppetunt. Ita nimirum, etiamſi rationi æque conſentaneum ſit, ut ſenis jugulatio in complexam *ideam* adjungeretur, ac interemptio patris; cum tamen nullum nomen pro priori ſupponatur, ſicut vox *parricidium* poſterius deſignat, haud ſumitur pro particulari *idea* complexa, aut actionum ſpecie, a juvenis, aut alterius cujuſvis jugulatione diſtincta (72).

(71) *V. uu tom. 1.*

(72) Diximus, Lockium in repetitione peccare. Hic, nihil aliud exprimit, quam alibi enunciavit. *V. §. V. Cap. XII. pag. 105. tom. 2.*

§. V.

Modorum mixtorum cauſa.

SI paulo ulterius quæramus, ut videamus undenam fit, *quod ab hominibus diverſæ idearum ſimplicium complexiones* in diſtinctos, & quaſi ſtabiles *modos* coagmententur, atque aliæ negligantur, quæ in rerum ipſarum natura, haud minus idoneæ ſunt, quæ inter ſe connexæ forent, & diſtinctas ideas conficerent; videbimus, rei iſtius rationem in ſermone ſitam eſſe: cujus cum finis ſit, ſignare, & hominum cogitationes cum hominibus, quanta fieri poteſt celeritate, communicare, e talibus vulgo idearum complexionibus mixtos modos efficiunt, & nomina iis imponunt, quales in vita & conſuetudine communi uſum habent, alias, quarum mentio rarius incidit, vagas ſolutaſque eſſe, & nominibus, quibus colligantur, carere permittunt; potius ducentes *ideas*, e quibus conflatæ ſunt, ſigillatim (cum opus fuerit) recenſere, quam negotium faceſſere memoriæ iterando *ideas* complexas una cum nominibus illarum, quarum mentio raro aut nunquam neceſſaria in poſterum erit (73).

§. VI.

Cur vocibus in una lingua non aliæ in alia reſpondeant.

HInc ratio redditur, *cur in unaquaque lingua plurimæ voces particulares reperiantur, quibus non aliæ in aliis linguis reſpondeant*. Cum enim regionis unius inſtituta, conſuetudines, & mores diverſi efficiant,

(73) *V. adn.* 32. *tom.* 2.

ciant, ut variæ *idearum* complexiones genti uni familiares ſint & neceſſariæ, quas altera efficere, imo haud notare neceſſum habuit, fit, ut nomina iis anneſtantur, ad longas verborum ambages vitandas, in rebus iis, quæ ſunt uſus quotidiani, & conſequens eſt, ut tot diſtinctæ fiant *ideæ* complexæ in animis illorum.

Hoc modo Οςρακισμὸς apud *Græcos*, & *Proſcriptio* apud *Romanos*, pro *ideis* complexis ſubſtituebantur, quæ vocabula alibi gentium haud mentibus hominum inerant, ac proinde voces nullæ iis in aliorum ſermone reſpondebant. Ubi nulla ejuſmodi conſuetudo obtinuit, ibi actionum nulla erat notio, uſus nullus id genus complexionum *idearum*, quæ unitæ erant & quaſi colligatæ per terminos iſtos; in aliis igitur regionibus haud nomina erant, quibus deſignarentur.

§. VII.

Cur linguæ immutentur.

HInc etiam rationem diſcimus, *cur linguæ mutationes conſtanter ſubeant*, cur novi adoptentur, & priſci antiquentur termini. Quoniam conſuetudinum & opinionum mutatio novas ſecum *idearum* complexiones fert, de quibus cogitare ſæpius, & ſermones conferre neceſſarium eſt; idcirco ad longiores verborum circuitus devitandos nova nomina iis anneſtuntur: atque ita novæ fiunt ſpecies modorum complexorum. Quam ingentem multitudinem diſtinctarum *idearum* brevis una vox hoc modo complectatur, quantum inſuper tempori & ſpiritui noſtro parcatur, cuivis manifeſtum erit, qui ſedulus numerum inibit *idearum* omnium, quæ vel per has duas voces Anglicas *Reprieve* aut *Appeal* ſignantur, & al-

teṙtrius vocis loco, ambitu verborum utetur ad ſenſum iſtarum exprimendum (*).

§. VIII.

Mixti modi, ubi exiſtant.

ETiamſi anſa mibi dabitur de hoc pluribus verbis differendi, cum de *Vocibus* (**), & illarum uſu differendum erit; ſuperſedere tamen non potui brevi hac notatione nominum *modorum mixtorum*, qui cum vagæ ſint, & fluxæ complexiones idearum ſimplicium, quarum exiſtentia plane ubivis momentanea eſt, niſi in animis hominum; atque, inibi haud diutius ſunt quam cogitationibus tanquam objectum obverſantur, & *conſequenter non formam habent & ſpeciem conſtantis & diuturnæ exiſtentiæ, quam quidem in nominibus, quibus utimur ad has ideas exprimendas*; quæ idcirco in hoc *idearum* genere cauſæ ſunt, cur ſæpe ſumantur pro *Ideis* ipſis, quas ſonant. Si ſciſcitaremur enim, ubinam *Triumphi*, aut *Apotheoſis idea* exiſtat; manifeſtum eſt, neutram illarum poſſe ullibi ſimul exiſtere in rebus ipſis, cum actiones ſint, quarum ad perfectionem tempus requiritur, ac proinde haud omnes ſimul exiſtere poterant. Quod ad animos hominum attinet, in quibus ſupponimus actionum iſtarum *ideas* recondi (74) illarum ibi exiſten-

(*) Hinc videtur, quantum eſt vituperandum munus illius pædagogi, qui recuſat ex aliis linguis terminos nobis deficientes adoptare. Extant nonnulli, qui ad oppoſitum currunt, & propriam linguam negligendo, propriis terminis, quos ignorant, extraneos ſubſtituunt, & imaginantes linguam novis ſignificantibus vocabulis locupletari, non efficiunt, quam eam inutilibus ſynomynis gravare. *SOAVE*.

(**) Vid. infra Lib. III.

(74) Quomodo reconduntur in animis? Concipe ſi potes. (12. 23. *tom.* 2. 108. *tom.* 1.)

ſtentia valde lubrica eſt & incerta, quapropter ſolemus eas nominibus annectere, a quibus in nobis excitantur.

§. IX.

Modorum mixtorum ideas quomodo nanciſcamur.

TRibus itaque modis *complexas haſce ideas Modorum mixtorum nanciſcimur*. I. Experientia & rerum ipſarum *annotatione*. Hoc modo intuentes par gladiatorum, aut duos palæſtritas, inter ſe colluctantes gladiaturæ aut palæſtræ *ideam* adipiſcimur. II. *Inventione*, ſive voluntaria combinatione plurium idearum ſimplicium in animo noſtro: ita typographiæ aut ſculpturæ primus inventor, iſtius *ideam* animo prius tenebat, quam ulla earum artium exiſtebat. III. Quæ ratio eſt uſitatiſſima, *explicatione nominum* actionum, quas vidimus nunquam, aut notionum, quas videre nequimus, & enumerando, atque ita, quaſi repræſentando phantaſiæ noſtræ omnes iſtas *ideas*, quæ illarum partes conſtituunt. Poſtquam enim per *Senſationem* & *Reflexionem ideæ* ſimplices menti noſtræ ſuppeditantur (75), & nos uſu quotidiano nomina didicimus, quæ pro iis ſubſtituuntur, poſſumus nominum iſtorum adminiculo repræſentare alteri *ideam* quandam complexam, quam ab illo concipi volumus; dummodo in ea nulla ſit *idea* ſimplex, quam ignorat, eamque eodem nobiſcum nomine ſignat. Omnes enim *ideæ* noſtræ complexæ poſſunt ultimo in *ideas* ſimplices reſolvi, e quibus componun-

 tur,

(75) Sic in verſione gallicana, „ Car aprés avoir reçu des „ idées ſimples dans l'eſprit par voie de ſenſation, & de refle- „ xion „ Quomodo a ſpiritu recipiuntur? (*V. adn. 90. Medit. de mem. ſcīn. 3. pag. 53. 54.*)

tur, & primitus conſlantur, etiamſi forte iſtarum materia proxima, complexæ etiam *ideæ* ſint (76). Ita *modus* iſte *mixtus*, pro quo vox *mendacium* ſupponitur, ex ſimplicibus hiſce ideis coagmentatur: 1. Sonis Articulatis. 2. *Ideis* certis in mente illius qui loquitur. 3. Vocibus iſtis *idearum* iſtarum notis. 4. Notis iſtis aliter per affirmationem aut negationem conjunctis, quam *ideæ*, quas denotant, ſunt in animo loquentis. Haud opus eſt, credo, ulterius analyſin reddere complexæ iſtius *ideæ*, quam *mendacium* appellamus. Ex dictis patet, eam e ſimplicibus *ideis* conflatam eſſe; atque nimium lectori tædium parerem, ſi omnes *ideas* ſimplices ſigillatim enumerarem, e quibus complexa iſta conficitur; quarum numerum ex iis, quæ dicta ſunt, ipſemet facile colligat. Idem fieri poteſt in omnibus noſtris *ideis* complexis; quæ utcunque componantur & decomponantur, ultimo reſolvi poſſunt in ſimplices *ideas*, quæ omnem, quam habemus aut habere quidem poſſumus, cognitionis aut cogitationis ſupellectilem nobis ſuppeditant. Nec verendum eſt, ne hoc modo animum in nimias *idearum* anguſtias compellamus, ſi conſideramus, quam inexhauſtam copiam modorum ſimplicium, numerus & figura tantum nobis ſuppeditent. Quam longe itaque *modi mixti*, qui varias admittunt *idearum* ſimplicium, & iſtarum modorum infinitorum complexiones, a paucitate & anguſtiis iſtis abſunt, facile concipere poſſumus. Sic etiam priuſquam huic diſſertationi finem impoſuerimus, videre erit, nemini metuendum eſſe, ne non amplum ſatis campum habeat, in quo cogitationes ipſius late vagentur, etiamſi concluſæ forent intra ambitum *idearum* ſimplicium a *Senſatione* aut *Refle-*

(76) Evenit cernendo mutationes ſimplices, ut fuere confectæ, non notas, vel partes ipſarum mutationum.

flexione receptarum, & illarum varias complexiones.

§. X.

Motus, cogitatio & potentia maxime modificata fuere.

OPeræ pretium eſt obſervare, *quænam ex omnibus noſtris ſimplicibus ideis maximam modificationem ſubierint, & e quibus plurimi modi mixti pullularint, una cum nominibus iis impoſitis*: hæ ſunt tres iſtæ; *Cogitatio*, & *Motus*, (quæ duæ *ideæ* omnem actionem in ſe continent) & *Potentia*, e qua actiones iſtæ oriri concipiuntur. Hæ, inquam, ſimplices *ideæ* Cogitationis, Motus, & Potentiæ, iſtæ ſunt, quæ plurimum fuere modificatæ, & e quarum modificationibus plurimi prodierunt modi complexi, cum nominibus iis annexis. Cum enim actio magnum ſit hominis negotium, atque id omne, circa quod leges humanæ verſantur; haud mirum eſt, varios modos cogitationis & motus obſervari, illorum *ideas* animadverti & in memoria recondi, iiſque nomina imponi: ſecus enim difficile eſſet, leges condere, atque ſcelera & flagitia coercere. Nec ſine ejuſmodi *ideis* complexis & illarum nominibus, ulla eſſe poſſet inter homines ſermonis & vitæ communitas: homines itaque nomina certa, &, quæ fixæ & ſtabiles ſopponuntur, ideas in animis habent, modorum actionum, qui per cauſas ſuas, objecta, fines, inſtrumenta, tempus, locum, & alias circumſtantias diſtinguuntur: uti & Potentiarum actionibus iſtis apte convenientium: *v. g. ...dentia* eſt potentia loquendi aut agendi quod ſtatuimus coram aliis, ſine timore aut perturbatione: atque *Græci* libertatem hanc loquendi peculiari nomine παῤῥησίαν vocant: quæ potentia aut aptitudo in hominibus, rem quandam agendi, quando per actus iteratos acquiritur, *idea* eſt, quam vocamus *Habi-*

tum: cum propenſa eſt ad agendum, ut primum occaſio oblata fuerit, vocatur *Diſpoſitio*: ita *Moroſitas* eſt diſpoſitio ſive propenſio ad iracundiam.

Ut verbo concludam, ſi expendamus *modos* quoſvis actionis, *v. gr. conſiderationem* & *aſſenſum*, qui ſunt actus animi: *curſum* & *locutionem*, quæ actiones ſunt corporis: *ultionem* & *homicidium*, quæ utriuſque ſimul actiones ſunt: videbimus ea non niſi tot *collectiones* eſſe *idearum ſimplicium*, quæ in unum conjunctæ complexas efficiunt per nomina iſta ſignificatas (77).

§. XI.

Voces multæ, quæ videntur actionem ſignificare, non niſi effectum ſignificant.

CUm *Potentia* fons ſit ſive origo actionum omnium, ſubſtantiæ, in quibus hæ potentiæ inſunt, cum educuntur in actum, vocantur *Cauſæ*: atque ſubſtantiæ, quæ eo modo producuntur, aut *ideæ* ſimplices, quæ per potentiæ iſtius exercitationem in ſubjectum quoddam introducuntur vocantur *Effectus* (78). *Vis*, per quam ſubſtantia nova vel *idea* producitur, in ſubjecto potentiam iſtam exerente vocatur *Actio* (79): in ſubjecto vero, in quo quædam *idea* ſimplex immutatur

(77) *V. adn* 30. 33 41. *tom* 2.

(78) En *cauſæ*, & *effectus* vera notio. ((**) *tom.* 1. *pag* 310.)

(79) *Actio*, eſt mutatio ſtatus, cujus ratio ſufficiens eſt in ſubjecto quod eundem mutat (*V. Wolf. Ontolog.* §. 713.). *Vis* eſt continuus conatus, ſive niſus agendi, juxta majorem philoſophorum partem: verum nos credimus melius definiri per id, in quo continetur ratio ſufficiens cur actio ad exiſtentiam perveniat, & actu adſit (*V. Conf. Wolf. Ontol. p.* 542.), vel juxta Baumeſterum, eſt tendentia entis continua ad producendas mutationes (*V. Inſt. metaph. cap. XV.* §. 298.)

tur aut producitur, *Paſſio* vocatur (80). Quæ efficacia utcunque varia ſit, & effectus iſtius propemodum infiniti: poſſumus tamen, puto, concipere eam, in agentibus intellectualibus, nihil aliud eſſe præter diverſos modos cogitandi, & volendi: in agentibus corporis, nihil aliud eſſe præter diverſas motus modificationes (81). Puto, inquam, eam non aliud eſſe concipi poſſe præter horum alterutrum: fateor enim, me notionem nullam, aut *ideam* habere alterius cujuſdam actionis, quæ effectus producat; quare non minus remota a meis cogitationibus, & intelligentia; quam quinque alii ſenſus, aut colorum *ideæ* a cæco: ideoque *multæ voces, quæ actionem aliquam exprimere videntur*, nihil actionis ſignificant, *aut modi operandi* omnino, verum Cauſam operantem aut *Effectum* tantummodo, una cum circumſtantiis quibuſdam ſubjecti, in quod agitur; *v. g. Creatio, annihilatio*, nullam in ſe *ideam* continent actionis, aut modi, quo producuntur, verum cauſæ tantum; & rei productæ (82). Et quando dicit ruſticus, aquam frigore congelari, etiamſi vox *congelare actionem* aliquam denotare videtur, revera tamen nihil præter effectum ſignificat, nimirum aquam, quæ prius fluida erat, duram nunc fieri & concretam, nulla ratione habita *ideæ* actionis, qua fit.

§. XII.

---

(80) Eſt mutatio, cujus ratio ſufficiens eſt extra ſubjectum mutatum.

(81) Non eſt quam idea ſpecialis; generalis idea nequit concipi niſi in ratione ſufficiente mutationis, quam rationem voluit Creator animæ, vel corpori ineſſe.

(82) Hæc idea complexa cauſæ, & rei productionis, ſuppeditat, ſi recte video, actionis ideam.

§. XII.

Modi mixti ex aliis etiam ideis conflati ſunt.

SUpervacaneum eſſe puto hic animadvertere, etiamſi potentia & actio maximam partem efficiant modorum mixtorum, qui per nomina ſignantur, quæ creberrima ſunt in animis & ſermonibus hominum; alias tamen *ideas* ſimplices, & illarum varias combinationes haud excludi; multo minus, puto, *neceſſarium* erit *omnes enumerare modos mixtos*, qui una cum nominibus eorum recepti fuere: id eſſet dictionarium efficere, ex maxima parte vocum, quæ in Theologia, Morali Philoſophia, Juriſprudentia, Politicorum libris, atque aliis Scientiis uſurpantur. Noſtro huic inſtituto ſat erit, oſtendere, quodnam genus *idearum* eæ ſint, quas *Mixtos Modos* voco; quomodo mentem ſubeant; eaſque compoſitiones eſſe, conflatas ex *ideis* ſimplicibus, ex Senſatione & Reflexione ortis; quod a me factum credo.

CAP.

C A P. XXIII.

De ideis noſtris complexis Subſtantiarum.

§. I.

Subſtantiarum ideæ quomodo fiant.

CUm mens, ut dixi, magna *idearum* ſimplicium multitudine inſtructa, quæ per Senſus intromittuntur, prout in rebus externis reperiuntur, aut per *Reflexionem* in ſuas ipſius operationes inſtitutam, animadvertat etiam certum ſimplicium iſtarum *idearum* numerum ſimul conſtanter conjungi; quæ cum ad rem unam pertinere ſupponantur (83), cumque voces communi captui accommodentur, & compendii ergo uſurpentur, in unum ita ſubjectum comprehenſæ, uno nomine appellantur; quod poſtea ex incuria ſolemus ſpectare tanquam unam *ideam* ſimplicem, quod revera multarum idearum ſimul junctarum complexio eſt: quoniam, ut dixi, haud concipientes, quomodo hæ ſimplices *ideæ* per ſe ſubſiſtere poſſint, ſolemus *ſubſtratum* aliquod ſupponere, in quo ſubſiſtant, & unde reſiliant, quod idcirco *ſubſtantiam* (84) vocamus.

§. II.

(83) *V. adn.* 128. *tom.* 1.
(84) *V. adn. α tom.* 1. *pag.* 211.

§. II.

Ideæ noſtræ ſubſtantiæ in genere.

ADeo ut ſi quis introſpiciens in mentem ſuam examinare velit, *quam notionem habeat puræ ſubſtantiæ in genere*, videbit, ſe non aliam omnino iſtius *ideam* habere, præter ſuppoſitionem, neſcio cujus ſuſtentaculi qualitatum, quæ potentiam habent ſimplices *ideas* in nobis producendi; quæ qualitates vulgo *Accidentia* vocantur (*): & ſi quis interroga-retur,

(*) Quam affert Lockius de ſubſtantia in genere explicationem, haud invenimus diſcrepantem a Peripateticorum doctrina, qui cum ſuas mentis abſtractiones reales efficiant, concipiunt rei cujuſdam qualitates, *v. g.* rotunditatem, duritiem; pondus ferreæ glandis realiter ab ipſa glande diſtingui: inde percipientes haſce qualitates nullatenus ex ſe poſſe naturaliter ſubſiſtere, arbitrantur in glande ferrea ſubjectum ineſſe quoddam occultum, a quo qualitates ipſæ ſuſtineantur, & in quo inhæreant. Verum futilis, atque commentitia plane eſt hæc ſubſtantiæ idea; qualitates enim rei ſunt realiter res ipſa, quatenus eo modo exiſtit, ſuntque exiſtendi modi; & ſubſtantia eſt res eadem ſimpliciter in ſe ipſa conſiderata. Si cui igitur quæratur, quodnam ſubjectum ſit, in quo color & pondus exiſtunt? merito reſpondebit, ſubjectum hoc eſſe ſolidas atque extenſas ejuſdem partes, quæ eam denſitatem, atque diſpoſitionem habent, ut varias radiorum vibrationes reflectentes, coloris ſenſum producere valeant. Sic dicendum de pondere. Corpus enim aut plus aut minus ponderis habet, quatenus vel pluribus, vel paucioribus conſtat partibus; quia unaquæque pars æqualiter ad centrum impellitur a generali gravitatis cauſa. At ſi quæratur, quidnam ſit, in quo extenſio atque ſoliditas inhærent? Reſpondendum erit ſoliditatem eſſe proprietatem, atque exiſtendi modum, qui ab extenſione conſtituitur: ſoliditas enim ex ſe exiſtere nequit non ſecus ac figura: at extenſionem nullius indigere ſuſtentaculi, ſed eſſe ſubjectum ſoliditatis, figuræ, coloris, ponderis &c. eſſe ſcilicet ſubſtantiam, & eſſentiam materiæ (**). Verum animadvertendum

(**) *V. adn.* 131, *tom.* 1.

retur, quodnam ſit ſubjectum, in quo color aut pondus inhæret? nihil indicare poſſet, præter partes ſolidas extenſas, & ſi rogaretur, quidnam ſit ſoliditatis & extenſionis ſubjectum? haud in minus difficilem nodum incideret, quam Indus ille, de quo (Vid. Lib. II. Cap. XIII. §. 19.) mentio ſupra erat facta; qui, cum diceret, Mundum ſuſtentari ab ingente elephante, rogabatur, quidnam elephantem ſuſtentaret? reſpondit, ingens teſtudo: roganti denuo, quid teſtudinem ſuſtineat? reſpondit, aliquid; quid vero, neſcivit. Hoc modo hic, ut in aliis omnibus caſibus, ubi vocibus utimur ſine claris & diſtinctis *ideis*, puerorum ritu loquimur; qui rogati, quid res ſit, quam ignorant, confeſtim reſpondent, eſſe aliquid; quod perinde eſt, ac ſi dicerent, ſe neſcire; atque ſe rei, de qua tanquam notiſſima loquuntur, nullam omnino habere ideam, verum iſtius penitus ignaros eſſe. Cum igitur iſta, qua præditi ſumus, *idea*, cui generale nomen *Subſtantiæ* tribuimus, nihil aliud ſit præter ſuppoſitum, atque ignotum ſubjectum qualitatum, quas exiſtere comperimus, quas credimus non poſſe ſubſiſtere *ſine re ſubſtante*, ſubſtentaculum illud *ſubſtantiam* vocamus.

§. III.

---

dum eſt ſoliditatem eſſe exiſtendi modum, ſive qualitatem ab extenſione inſeparabilem: alibi enim demonſtravimus iiſdem Lockii principiis innixi neceſſariam connexionem inter ideam extenſionis, atque ideam ſoliditatis. Cæterum non tantum Ethnicis, puta Democrito, & Epicuro, atque aliis viſum eſt, eſſentiam corporis in extenſione conſiſtere; ſed ipſis etiam Eccleſiæ Patribus, ut S. Auguſt. lib. de quant. animæ num. 6. alias cap. 4. ita loquenti: *Prius abs te quæro, utrum corpus ullum putes eſſe, quod non pro modo ſuo habeat aliquam longitudinem, latitudinem, & altitudinem? ... Si hoc demas corporibus, quantum mea opinio eſt, neque ſentiri poſſunt, neque omnino corpora eſſe recte exiſtimari.* Et Epiſt. 186. alias 57. n. 18. alias c. 6. *Spatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt; & quia nuſquam erunt, neque erunt.* THIELE.

§. III.

De ſubſtantiarum generibus.

COnflata hoc modo obſcura & relativa *idea* ſubſtantiæ in genere, *particularium ſubſtantiarum ideas* deinceps nanciſcimur, colligendo tales complexiones *idearum* ſimplicium, quales experientia & obſervatione hominum per ſenſus facta ſimul exiſtere notantur, & proinde manare dicuntur e particulari interna conſtitutione, aut eſſentia incognita ſubſtantiæ iſtius. Hoc modo *ideas* nanciſcimur *hominis*, *equi*, *auri*, *aquæ*, *&c.* Quarum ſubſtantiarum, utrum quis aliam ullam claram habeat *ideam*, niſi ſimplicium quarundam *idearum* ſimul exiſtentium, penes ſuam uniuſcujuſque experientiam judicium eſſe velim. Vulgares ſunt qualitates, in ferro, aut adamente notatæ; quæ ſimul conjunctæ veram efficiunt *ideam* complexam iſtarum ſubſtantiarum, quæ fabro ferrario, aut gemmario, notiores vulgo ſunt, quam Philoſopho; qui, utcunque formas ſubſtantiales jactet, non aliam habet *ideam* ſubſtantiarum iſtarum, quam quæ repertarum in illis *idearum* ſimplicium collectione deſumitur (*); verum notandum eſt, complexas

(*) Ex his loquendi modis minime convincimur, ſubſtantiam corporum eſſe quid diſtinctum ab extenſione, neque cæteroquin probatur quid aliud extenſionis ſuſtentaculum concipiendum eſſe. At multi profecto decipiuntur voces pro rebus concipientes. Quiſquis enim ſibi ponderandas proponat voces haſce, *v. g. Montis extenſio*, atque aſſerere haud vereatur ex ipſis ſatis indicari aliud eſſe montem, qui eam extenſionem habet, aliud eſſe extenſionem, quæ in monte inhæret, adeo ut mons tanquam ſubjectum extenſionis concipiendus ſit, minime vero extenſio tanquam montis ſubſtantia. reſpondendum erit, quod ſi etiam alios loquendi modos, quibus uti ſolemus, animadvertamus, nimirum *Menſis Januarii*, *Urbs Romæ*, *hyemis tempus*, *&c.* inveniemus, quod

xas noſtras ſubſtantiarum *ideas* præter ſimplices iſtas ideas, e quibus coagmentantur, ſemper habere confuſam *ideam* alicujus rei, ad quam pertinent, & in qua ſubſiſtunt: quapropter cum de ſubſtantia quadam loquimur, dicimus eam eſſe ens hiſce aut illis qualitatibus

---

quod ſicut montis extenſio ſpectanda eſt veluti quid a monte diſtinctum; ſic & menſis Januarii reſpiciendus erit, veluti quid diſtinctum a Januario, urbs Romæ a Roma, hyemis tempus ab hyeme &c. Eadem relatio, quæ eſt inter montem, & extenſionem, concipienda erit quoque inter urbem & Romam, menſem & Januarium, tempus & hyemem; & proinde Roma ſubjectum erit urbis, Januarius ſubjectum menſis, hyems ſubjectum temporis; & Roma diſtinctum quid erit ab urbe, Januarius a menſe, hyems a tempore. Ex hac comparatione ſatis intelligitur, quam ridicula foret hæc objectio: neque profecto deceret Philoſophum, ut ideas ſuas imperfectis, atque vulgaribus loquendi modis ſubjiceret.

Quoad vero ſubſtantiarum particularium ideas, quas nil aliud eſſe docet Lockius, quam ſimplicium, quibus coagmentantur, idearum complexiones, oportet ut ſequenti diſtinctione utamur. Verum quidem eſt nos haud noſcere corpora particularia, niſi per complexionem qualitatum, quas ſenſibus noſtris in iis deprehendimus, at non ſic ſe habet cum dicimus, ideam, quam habemus, ſubſtantiæ eorum, eſſe complexam ideam hujuſmodi comprehenſionis qualitatum. Corporum omnium ſubſtantia eſt ſolida extenſio, & ab ea unumquodque corpus propriam habet exiſtentiam ab uniuſcujuſque alius exiſtentia diſtinctam; modus autem, quo hæc ſolida extenſio exiſtit, aut modificata eſt, differentiam corporum conſtituit; alia enim eſt figura, moles, motus, connexio atque textura partium, quibus aqua conſtat; alia figura, moles, motus, connexio atque textura partium, quæ ignem conſtituunt. Interior hæc ſolidarum atque extenſarum partium coagmentatio, quæ modum conſtituit exiſtentiæ corporum, vocatur forma ſeu eſſentia uniuſcujuſque corporis: unde corpora omnia inter ſe quoad materiam atque ſubſtantiam conveniunt, nec differunt niſi forma, aut eſſentia. Extat igitur in nobis idea clara ſubſtantiæ, quæ corporibus omnibus communis eſt: at fatendum eſt interiorem eorumdem conſtitutionem, aut eſſentiam nonniſi imperfecte admodum nobis eſſe exploratam: neque niſi per ſolas qualitates, quas in iis deprehendimus, alia cor-

bus præditum, uti corpus eſt res extenſa, figurata, & motus capax; Spiritus eſt ens cogitationis capax atque ita duritiem, friabilitatem, & potentiam attrahendi ferrum, dicimus eſſe qualitates in magnete inveniendas. Hæ, atque hujuſmodi loquendi formulæ denotant, ſubſtantiam ſemper ſupponi aliquid eſſe præter extenſionem, figuram: ſoliditatem, motum, cogitationem, aut alias apparentes *ideas*, etiamſi, quid ſit, neſcimus.

§. IV.

Nulla clara eſt idea ſubſtantiæ in genere.

HInc cum loquimur aut cogitamus de particulari quadam ſubſtantia corporea, nimirum *equo, lapide &c.* etiamſi utriuſvis, quam habemus, *idea* nihil aliud ſit præter complexionem, aut collectionem variarum iſtarum *idearum* ſimplicium ſenſibilium qualitatum, quas ſolemus reperire unitas in re, quam vocamus *equum*, aut *lapidem*, quoniam vero nequimus concipere, quomodo per ſe, aut aliæ in aliis ſubſiſtant, ſupponimus eas in aliquo communi ſubjecto inhærere, & ſuſtineri ab eo; *quod ſubjectum per vocem ſubſtantiam denotamus*, etſi certiſſimum eſt, nos rei iſtius, quam harum qualitatum unitarum ſuſtentaculum eſſe ſupponimus, nullam habere claram, aut diſtinctam *ideam* (85).

§. V.

---

corpora ab aliis diſtinguere, & de interiori eorumdem conſtitutione, a qua ipſæ qualitates pendent, aliquid conjicere, quantum nobis licet, valemus (**). *THIELE*.

(**) Hic optime ac præciſe argumentari, cenſeo. Adnotetur tamen, quod quid quid hic dicit Thiele, aſſeruit primum *P. Gerdil* (*V. l' immaterialitè de l' ame demontrèe contre Monſieur Locke a Turin MDCCXLVII. pag.* 40. 41. 42.)

(85) *Ibid.*

§. V.

Spiritus idea æque clara eſt ac corporis.

IDem circa animi operationes accidit, nimirum *cogitationem*, *ratiocinium*, *timorem*, &c. quas quoniam haud per ſe ſubſiſtere concludimus, nec concipimus, quomodo pertineant ad corpus, aut per illud producantur, in proclivi eſt, credere, has actiones eſſe alterius ſubſtantiæ, quam *Spiritum* vocamus (86); unde manifeſtum eſt, quod, cum non aliam habeamus *ideam* aut notionem materiæ, niſi rei alicujus, in qua multiplices iſtæ, quæ ſenſus afficiunt, qualitates ſenſibiles ſubſiſtunt, concipiendo ſubſtantiam, in qua *cogitatio*, *dubitatio*, *potentia movendi*, *&c.* ſubſiſtunt, *claram æque notionem naturæ, aut ſubſtantiæ ſpiritus*, *ac corporis habemus*; cum unum ſupponamus eſſe (quid vero ſit prorſus ignorantes) ſimplicibus *ideis* iſtis *ſubſtratum*, quæ extrinſecus veniunt; atque alterum ſupponamus (non ſine eadem rei ignoratione) eſſe *ſubſtratum* iis operationibus, quas intus in nobiſmet experimur. Perſpicuum itaque eſt, *ideam* corporeæ ſubſtantiæ in ente materiali ab intelligentia noſtra æque remotam eſſe, ac eſt *idea* ſubſtantiæ ſpiritualis, ſive Spiritus: quapropter ex eo, quod nullam ſubſtantiæ ſpiritus notionem habemus, haud magis concludendum eſt, iſtam non exiſtere, quam poſſumus ob eandem rationem corporis exiſtentiam negare: haud minus enim rationi conſentaneum eſt, affirmare, nullum eſſe corpus, quoniam eſſentiam iſtius, ut dicitur, ignoramus, & nullam habemus ideam ſubſtantiæ materiæ; quam dice-

(86) Adnotate. Convenit cum eo quod dixit §. X. Cap. IX. hujus libri.

dicere nullum eſſe ſpiritum, quoniam neſcimus eſſentiam iſtius, nec ſubſtantiæ ſpiritualis *ideam* ullam habemus.

§. VI.

De diverſis ſubſtantiarum generibus.

UTcunque igitur occulta ſit & natura abſtracta *Subſtantiæ* in genere, *ideæ omnes, quas habemus, particularium diſtinctarum ſubſtantiarum*, nihil aliud ſunt, niſi variæ complexiones *idearum* ſimplicium, coexiſtentium in tali, etiamſi haud nota, unionis iſtarum cauſa, qualis efficit, ut totum per ſe ſubſiſtat. Per ejuſmodi combinationes *idearum* ſimplicium, & per nihil aliud eſt, quod particulares ſubſtantias nobiſmet repræſentemus; tales ſunt *ideæ* diverſorum generum iſtarum, quas in animis habemus, & tales tantummodo aliis ſignificamus, per nomina iſtarum, *v. g. hominem, equum, ſolem, aquam, ferrum, &c.* quibus auditis nominibus, unuſquiſque ſtatim, haud linguæ ignarus, animo ſibi fingit complexionem variarum iſtarum *idearum* ſimplicium, quæ ſub illa denominatione ſimul exiſtere communiter ab illo notatæ erant: quas omnes ineſſe, & quaſi adhærere ſupponit communi iſti cognito ſubjecto, quod in nullo alio inhæret: etiamſi interea manifeſtum eſt, & unuſquiſque, qui cogitationes ſuas evolverit, comperiet, ſe nullam aliam habere *ideam* particularis cujuſdam ſubſtantiæ, *v. g. auri, equi, ferri, hominis, calcanthi, panis, &c.* quam quas tantummodo habet ſenſibilium iſtarum qualitatum, quas *ſubſtrato* inexiſtere, & ſimul junctas per illud ſuſtineri ſupponit. Hoc modo *idea* ſolis, quid aliud eſt, quam aggregatum ex variis iſtis *ideis* ſimplicibus, rei nimirum lucidæ, calidæ, rotun-

dæ, conſtantis & regularis motus ad certam a nobis diſtantiam, & fortaſſe, aliarum quarundam qualitatum, prout is, qui de ſole cogitavit aut diſſeruit, magis minuſve accurate animadverterit ſenſibiles iſtas qualitates, ideas, aut proprietates, quæ in re inſunt, quàm *ſolem* appellat.

§. VII.

Potentiæ pars magna ſunt complexarum noſtrarum idearum ſubſtantiarum.

ILle enim accuratiſſimam habet *ideam* particularis cujuſdam ſubſtantiæ, qui in unum complexus eſt plurimas e ſimplicibus iſtis ideis, quæ in ea exiſtunt, quarum in numero *activæ* iſtius, & *paſſivæ potentiæ* recenſendæ ſunt; quæ etiamſi haud ſtrictæ ſint *ideæ* ſimplices, hoc tamen reſpectu, compendii ergo, iſto in numero haud incongrue haberi poſſunt. Hoc modo potentia ferrum attrahendi, una eſt ex *ideis* complexionis ſubſtantiæ iſtius, quam *magnetem* vocamus, & potentia, ut ita attrahatur, pars eſt complexæ iſtius *ideæ*, quam *ferrum* appellamus; quæ potentiæ qualitates eſſe perhibentur ſubjectis iſtis inhærentes. Quoniam unaquæque ſubſtantia, cum potentiarum ope, quas in ea cernimus, æque apta nata ſit, ad immutandum ſenſibiles quaſdam qualitates in aliis ſubjectis, ac eſt ad producendum in nobis *ideas* iſtas ſimplices, quas ab ea immediate recipimus, per novas iſtas qualitates ſenſibiles, in alia ſubjecta introductas, exhibet nobis potentias iſtas, quæ mediate ſenſus noſtros afficiunt, regulariter æque ac ſenſibiles iſtius qualitates id immediate faciunt, *v. g.* nos immediate per ſenſus in *igne* calorem ejus coloremque percipimus; quæ, ſi rite conſiderentur, non aliud quid ſunt, niſi poten-

tiæ in eo, ad *ideas* iſtas in nobis producendas (87): nos etiam ſenſuum ope, carbonis colorem & friabilitatem percipimus; unde devenimus in cognitionem alterius potentiæ in igne, qua poteſt colorem & ſtabilitatem ligni immutare: in priori exemplo ignis immediate, in poſteriori mediate potentias iſtas diverſas exhibet (88); quas ideoque ignis qualitatibus annumerandas eſſe credimus, & proinde pars habentur complexarum iſtius *idearum*. Cum enim omnes iſtæ potentiæ, quarum cognitionem habemus, terminentur ſolummodo in alteratione quarundam qualitatum ſenſibilium, iis in ſubjectis, in quæ operantur, cumque ita efficiant, ut novas *ideas* ſenſibiles nobis exhibeant, inde eſt, quod potentias haſce ſimplicibus *ideis* annumeraverim, quæ complexas efficiunt e generibus ſubſtantiarum; etiamſi hæ potentiæ in ſe ſpectatæ, revera complexæ ſint *ideæ* (89). Atque in hoc laxiori ſenſu vellem intelligi, quando quaſdam e *potentialitatibus* hiſce *in numero complectar ſimplicium idearum*, quas in animis recolligimus, cum de *particularibus ſubſtantiis* cogitamus (90). Potentiæ enim, quæ ſigillatim iis inſunt, neceſſario conſiderandæ ſunt, ſi ſubſtantiarum veras notiones diſtinctas habere velimus.

§. VIII.

(87) *V. adn.* 139. *tom.* 1.
(88) *V adn* 145. *tom.* 1.
(89) *V. adn* 142. *tom.* 1.
(90) *V. adn.* 139. *tom.* 1.

§. VIII.

Cur vero.

NEc mirum videri debet, *potentias magnam partem efficere complexarum noſtrarum idearum ſubſtantiarum* (*); ſecundariæ illarum qualitates eæ ſint; quæ in pleriſque illarum præcipue adhibentur ad ſubſtantias a ſe invicem diſtinguendas, & vulgo magnam partem efficiunt *ideæ* complexæ diverſorum generum iſtarum. Cum enim nos ſenſus deficiant, in inveſtigatione molis, texturæ, & figuræ minutarum partium corporum, e quibus reales illorum conſtitutiones & differentiæ pendent, cogimur neceſſario *ſecundariis* illorum *qualitatibus*, pro notis characteriſticis & ſignis uti, quibus *ideas* illarum in animis formare, eaſque a ſe invicem diſcriminare poſſimus. Quæ omnes qualitates ſecundæ (**), ut oſtenſum eſt, nudæ tantummodo potentiæ ſunt. *Opii* enim color & ſapor ſunt, haud minus, quam vis iſta alliciendi ſomnum & dolorem leniendi, qua prædita eſt, meræ *potentiæ* e primariis iſtius qualitatibus pendentes, per quas apta nata eſt ad diverſas operationes in diverſis corporum noſtrorum partibus producendas.

(*) Quid per qualitates ſecundarias Auctor noſter intelligat, pluribus videri poteſt ſupra Cap. VIII. hujus Libri, §. 9.
(**) *Vid. cit. loc. §. 13. & ſeqq.*

§. IX.

Tria genera idearum complexas noſtras ſubſtantiarum efficiunt .

IDeæ , *quæ complexas noſtras corporearum ſubſtantiarum efficiunt* , trium ſunt generum . *Primo* , *Ideæ primarum qualitatum* rerum , quæ per ſenſus innoteſcunt , atque in iis inſunt , quando haud a nobis percipiuntur , ejus generis ſunt moles , figura , numerus , ſitus , & motus partium corporum , quæ illis realiter inſunt , ſive a nobis percipiantur , nec ne . *Secundo* , *Senſibiles qualitates ſecundariæ* , quæ ab hiſce pendentes , nihil aliud ſunt præter *potentias* , quas ſubſtantiæ iſtæ habent ad varias in nobis *ideas* ſenſuum ope producendas ; quæ *ideæ* haud aliter ſunt in rebus ipſis , quam res aliqua eſt in cauſa ſua . *Tertio* , *Aptitudo* , quam in ſubjecto quodam conſideramus , ad communicandas aut recipiendas ita primarum qualitatum alterationes , ut ſubſtantia eo modo alterata *ideas* in nobis diverſas ab iis , quas antea , producat , hæ vocantur *activæ* & *paſſivæ potentiæ* : quæ omnes potentiæ quatenus nos illarum notitiam aliquam habemus , in ſenſibilibus *ideis* tantum ſimplicibus terminantur ; utcunque enim magna ſit magnetis ad operandum in ferrum , & ad minutas iſtius partes alterandum , nos nullam iſtius notionem haberemus , niſi per motum iſtius ſenſibilem id palam fieret ; atque nullus dubito , quin mille ſint mutationes , quas corpora , quæ contrectamus , potentiam habent in ſe mutuo cauſandi , quas iis ineſſe nos nunquam ſuſpicamur , quoniam vim nullam aut ſenſibiles illarum effectus videmus .

§. X.

§. X.

Qualitates hæ ſecundariæ corporum evaneſcerent, ſi minutarum partium primarias cernere poſſemus.

POtentiæ itaque, jure optimo *complexarum idearum ſubſtantiarum partem magnam efficiunt*. Qui complexam, quam habet, auri *ideam* diligenter excutiet, videbit plurimas *ideas*, e quibus coagmentatur, potentias tantummodo eſſe; ita potentia liquefiendi, pondus ſuum medio in igne retinendi, ſolutionem in *aqua Regia* recipiendi, ideæ ſunt, haud minus neceſſariæ ad complexam auri *ideam* conficiendam, quam color & pondus ejus: quæ ſi diligenter expendantur, nihil aliud etiam ſunt, niſi potentiæ diverſæ. Ut, quod verum eſt, dicam, flavedo haud actu ineſt auro; verum potentia eſt in eo ad *ideam* iſtam in nobis per oculos producendam, quando in debita luce poſitum eſt; atque calor, quem ex *idea* noſtra ſolis rejicere nequimus, haud magis in ſole revera exiſtit, quam albedo iſta, quam in ceram introducit. Ambæ hæ potentiæ æqualiter in ſole exiſtunt, & per motum, & figuram partium inſenſibilium, ita in hominem operantur, ut in eo caloris *ideam* producant: in ceram vero ita, ut poſſit *alibi ideam* in homine excitare (91).

§. XI. Si ſenſus haberemus acutos ſatis ad minutiſſimas corporum particulas perſpiciendas, & conſtitutionem realem, quibus qualitates eorum ſenſibiles nituntur, nullus dubito, quin diverſas longe *ideas* in nobis producerent; &, qui nunc flavus eſt auri color, tunc evaneſceret, atque ejus loco mirandam partium texturam certæ magnitudinis & figuræ cer-

H 4 nere-

(91) Hactenus continuæ repetitiones.

neremus. Id microſcopia planum nobis faciunt; quod nudis enim oculis certum producit colorem, illud, tali modo ſenſuum noſtrorum acumine intento, rei longe diverſa eſſe videtur; ut ita hoc inſtrumentum immutans quaſi proportionem, quæ eſt inter molem partium minutarum objecti colorati & viſum uſitatum, ab iis diverſas longe in nobis *ideas* producat, quas idem objectum antea excitabat. Hoc modo *arena*, aut *vitrum piſtillo contritum*, quæ nudo oculo opaca eſt, & candida, pellucida eſt in microſcopio: atque ſi hoc modo *pilum* intuemur, priſtinum colorem amittit, & magna ex parte pellucidus eſt, non ſine varietate fulgentium quorundam ſcintillantium colorum, quales ex refractione adamantum, & aliorum corporum pellucidorum elucent. *Sanguis* nudo oculo rubicundus prorſus apparet; admoto vero microſcopio, in quo partes ejus minutiores comparent, rubicundi globulos tantum paucuios exhibet, in liquore pellucido natantes (92); quales vero globuli hi rubicundi apparerent, ſi microſcopia invenirêntur, quæ millies, aut decies millies eos majores redderent, incertum eſt.

§. XII.

(92) Dominus *Hevrſon* recenter probavit, globulos ſuppoſitos nihil eſſe aliud quam compreſſas veſiculas, in quibus natat ſolidus parvuſque globulus, quem *P. TORRE* parvulum foramen credidit, & conſequenter dixit, ſanguinis moleculas anulares eſſe. *SOAVE*.

§. XII.

Facultates dignoſcitivæ ſtatui noſtro accommodatæ ſunt.

SApientiſſimus ille noſtri, & quæ circum nos ſunt rerum omnium artifex, ſenſus facultates & organa noſtra ad vitæ hujus commoditates, & occupationes accommodavit. Poſſumus adminiculo ſenſuum res cognoſcere, & a ſe invicem diſcriminare; eaſque eatenus expendere, ut ad res applicari poſſint, quæ vitæ neceſſitatibus ſerviunt. Eam notitiam habemus admirabilis illarum fabricæ, & effectuum, quæ efficit, ut auctoris ſapientiam, potentiam, bonitatemque magnifaciamus. Ad hujuſmodi cognitionem acquirendam, quæ vitæ hujus uſibus ſervit, nobis facultates abunde ſatis ſuppetunt. Haud manifeſto vero apparet, Deum ſtatuiſſe, ut perfectam, claram, & adæquatam illarum cognitionem haberemus: id fortaſſe entis cujuſvis finiti captum ſuperat. Facultatibus ſatis ſumus inſtructi (utcunque eæ debiles ſint) ad ea in rebus creatis perſpicienda, quæ nobis facem præferant, ad creatoris & rerum cognitionem, quæ ad officii noſtri religionem ſpectant, atque ingenii vires ſatis faciunt iis parandis, quæ ſuppeditent ad cultum & ad victum. In hac vita omnis cura noſtra in hiſce verſari ſolet. Si ſenſus vero noſtri forent alterati, & acutiores longe redderentur, ſpecies & forma rerum exterior ab ea, qua nunc ſunt, facie diſcreparent; nec in hac, puto, quam incolimus, mundi plaga, ejuſmodi mutatio cum vitæ noſtræ incolumitate, aut ad minimum cum præſenti tam commoda & jucunda noſtra vivendi ratione conſiſteret. Qui corporum noſtrorum conſtitutionem conſiderabit, quam difficulter nimirum patiamur cæli mutationem, cum in aerem transferimur paulo tenuiorem eo, quem indies ſpiramus; dicet opti-

optime nobiſcum actum eſſe, quod in hoc, quem habitamus terræ loco, ſapientiſſimus rerum omnium artifex organa noſtra, & corpora iſta, a quibus afficiuntur, ad ſe invicem temperaverit. Si ſenſus noſter audiendi millies eſſet acutior & vegetior, quam nunc eſt, quomodo perpetuus nos ſonitus, aures noſtras ſemper afficiens, diſtraheret atque perturbaret? quoniam hoc pacto in maxima ſolitudine minus dormire aut meditari poſſemus, quam in media navali pugna. Imò ſi ſenſus ille videndi, a quo maxime inſtruimur ad cognitionem adipiſcendam, in quovis millies, aut decies milles acutior foret, quam nunc per optimum teleſcopium eſſe deprehenditur, res, ſine microſcopii ope, oculis perſentiret millies, aut decies millies minores, quam minima objecta, quæ poſſunt nunc diſcerni, atque ita propius intueretur texturam & motum minutiſſimarum partium rerum corporearum & in pleriſque illarum interiores fabricæ *ideas* probabiliter adipiſceretur. In eo vero caſu alium plane mundum incoleret, quam reliquum genus humanum: nihil ipſi idem compararet, quod aliis: verum rerum omnium *ideæ* viſibiles ab hiſce diverſæ forent; quare dubium mihi eſt, utrum is cum aliis hominibus ſermonem aliquem habere poſſet de objectis viſus, aut coloribus, cum illorum apparentiæ in tantum inter ſe diſcrepent. Et fortaſſe tanta perſpicacitas & ſubtilitas viſus haud clariores radios ſolis, aut ipſam lucem aſpicere, & non niſi exiguam partem objecti, eamque haud procul diſtantem, ſimul admittere poſſet. Atque ſi microſcopicorum ejuſmodi (ſi modo ita loqui fas ſit) oculorum adminiculo, quis altius ſolito in interiorem corporum fabricam penetrare poſſet, haud multum emolumenti e mutatione iſta perciperet, niſi viſus iſte acutus ipſum ad forum aut mercatorium duceret; niſi res evitandas ad debitam diſtantiam cernere, & quas noſſe ipſius refert, iiſdem, quibus alii, qualitatibus ſen-

ſenſibilibus dignoſcere poſſet. Qui viſu adeo acuto eſt, ut partium minuſcularum horologii figuram cernere, & obſervare poſſit, qua peculiari ſtructura & impulſu motus ejus elaſticus nitatur, is aliquid ſine dubio admiratione dignum detegeret: ſi vero oculi ita temperati haud poſſent indicem, & horariæ tabulæ characteres ſimul contemplari, atque ita e loco diſtante, quota ſit hora percipere, haud acumen illud poſſidenti multum prodeſſet; quod dum partium hujus machinæ intimum artificium palam fecit, effecit, ut uſum ejus amitteret.

§. XIII.

Conjectura circa Spiritus.

Atque hic mihi liceat, quam ipſe feci, quæque mira videbitur, conjecturam proferre, videlicet quoniam nos habemus quandam cauſam, (ſi modo fides rebus ſit habenda, quarum in Philoſophia ratio nequit reddi) ut credamus, Dæmonas ſive Spiritus poſſe ſibimet aſſumere corpora diverſæ magnitudinis, figuræ, & conformationis membrorum. Quod cum ita ſit, haud ſcio, an præcipua commoditas, & opportunitas, quam nonnulli illorum ſpirituum in nos habent, in hoc conſiſtat, quod penes ſit ipſos ſenſationis & perceptionis organa ſibimet ita effingere, ut ea præſenti conſilio, & circumſtantiis objecti, circa quod verſantur, accommodare poſſint. Quantum enim ille aliis omnibus ſcientia præſtaret, qui poſſet ſtructuram oculorum, hujus unici tantum ſenſus, ita alterare, ut capaces eſſent viſionis graduum, quos adminiculo microſcopiorum (caſu primum inventorum) concipere didicimus? quam mirabilia is detegeret, qui ad objecta omnia oculos ita aptare poſſet, ut, quandocumque vellet, figuram & motum minutarum particularum ſanguinis, & aliorum ſuc-

ſuccorum in animalibus diſtincte æque cernere poſſet, ac animarum ipſorum figuram motumque cernit. Nobis vero in præſenti ſtatu, organa immutabilia, accommodata ad figuram & motum perſpiciendum minutarum corporum partium, quibus iſtæ, quas nunc in iis animadvertimus, qualitates ſenſibiles nituntur, nullius, fortaſſe, omnino uſus forent. Dubio procul ita nos Deus perfecit, ut præſentis ſtatus noſtri utilitas poſtulat. Ille quoque nos ad corporis, cum quo nobis res eſt, & quo circumdati ſumus, conſortium aptiſſimos fecit, & licet facultatum ope, quas habemus, perfectam rerum cognitionem conſequi nequeamus; ſatis tamen nobis facient ad uſus ſuperius memoratos, e quibus vitæ hujus maxima momenta pendent. Velim mihi lector ignoſcat, quod apud ipſum novam adeo opinionem proferam, de modis perceptionis in Entibus, quæ ſupra nos ſunt. Utcumque vero ea mira & inaudita videatur, mihi dubium eſt circa angelorum cognitionis rationem ſuppeditandam aliud quid, niſi hunc aut huic ſimilem modum, imaginari poſſumus; aliquo modo nimirum habet convenientiam cum iis, quæ in nobiſmet ipſis experimur. Et quamvis inficiari nequimus infinitam Dei potentiam & ſapientiam, poſſe creaturas formare mille aliis facultatibus, & modis res externas percipiendi præditas, quam nobis inſunt: noſtræ tamen cognitiones non alias facultates ſibi repræſentare poſſunt, niſi quas in nobiſmet ipſi deprehendimus, ut adeo nobis impoſſibile ſit, conjecturas ultra *ideas* ampliare a Senſatione & reflexione receptas. Haud opus eſt, ut ſuppoſitio ſaltem, Angelos nonnunquam corpora aſſumere, terrorem nobis injiciat, cum nonnulli ex antiquiſſimis atque eruditiſſimis Eccleſiæ Patribus opinionem iſtam, eos eſſe corporeos, videantur fuiſſe amplexati. Hoc certiſſimum eſt, ſtatum eorum & modum exiſtendi nobis plane incognitum eſſe.

§. XIV.

§. XIV.

Complexæ ideæ ſubſtantiarum.

UT vero ad inſtitutum reddam, ad noſtras nimirum ſubſtantiarum *ideas* & modos, per quos adipiſcimur eas; dico *ideas* noſtras *ſubſtantiarum* nihil aliud eſſe præter *collectionem certi numeri idearum ſimplicium, quæ tanquam ſimul unitæ ſpectantur*. Hæ ſubſtantiarum *ideæ* etiam vulgo appellentur *apprehenſiones ſimplices*, & nomina illarum *ſimplices termini*: quod ad effectum tamen attinet, complexæ ſunt & compoſitæ. Ita nimirum *idea*, quam *Anglus* ſignat per vocem *Svvan*, (cygnum) eſt color albus, longum collum, roſtrum rubrum, crura nigra, & pedes integri, atque hæc omnia certæ magnitudinis, una cum potentia in aqua natandi, & certum genus ſoni edendi: quibus fortaſſe homo, qui genus illud avium diu obſervavit, alias quaſdam proprietates adjungeret, quæ omnes tamen in ſenſibilibus *ideis* ſimplicibus, in uno ſubjecto unitis, terminantur.

§. XV.

Spiritualium æque claræ ſunt ac corporearum ſubſtantiarum ideæ.

PRæter *ideas* complexas materialium ſenſibilium ſubſtantiarum, de quibus modo locutus ſum, per *ideas* ſimplices, ab iſtis mentis operationibus deſumptas, quas in nobis indies experimur, cujuſmodi ſunt *cogitatio*, *intellectio*, *volitio*, *cognitio*, & *potentia motus ordiendi*, *&c.* in ſubſtantia aliqua coexiſtentes, poſſumus complexam *ideam Spiritus* formare. Hoc modo *ideas* complectendo cogitationis, perceptionis, libertatis, & potentiæ ſemet reſque alias

alias movendi, haud claram minus perceptionem, notionemque ſubſtantiarum immaterialium, quam materialium habemus. Componentes enim *ideas* cogitationis & volitionis, vel potentiæ movendi, ſive ſiſtendi motum corporeum, cum ſubſtantia conjunctas, cujus nullam habemus *ideam* diſtinctam, *Spiritus immaterialis ideam* nanciſcimur, & ſimul conjungentes *ideas ſoliditatis* & *cohæſionis* partium, cum *potentia* motum recipiendi, ſi hæ res in ſubſtantia ſupponantur conjunctæ, cujus etiam nullam habemus poſitivam ideam, *Materiæ ideam* adipiſcimur. Una clara æque eſt & diſtincta *idea*, ac altera: *idea* enim cogitandi, & corpus movendi non minus claræ ſunt & diſtinctæ, quam ideæ extenſionis, ſoliditatis, & mobilitatis ſeu potentiæ motum recipiendi. Noſtra itaque ſubſtantiæ *idea*, æqualiter obſcura eſt, aut nulla omnino, in utroque; imaginarium aliquid eſt, neſcio vero quid, ad ideas iſtas ſuſtinendas, quas *Accidentia* vocamus.

§. XVI.

Abſtractæ ſubſtantiæ idea nulla eſt.

PEr complexam *ideam* extenſionis, figuræ, coloris, atque omnium aliarum qualitatum ſenſibilium, ultra quas nihil omnino de quodam corpore novimus, tam longe abſumus ab *idea* ſubſtantiæ corporis, ac ſi nihil omnino ſciremus: nec per conſuetudinem iſtam & familiaritatem, quam nos cum materia habere credimus, & varias iſtas qualitates, quas in corporibus ſe percipere & agnoſcere *homines* ſibimet perſuadent; poſt accuratum, fortaſſe, examen, apparebit, *ideas originales ſeu primarias, quas de corpore habent, eſſe neque plures, neque clariores iis, quas de Spiritibus immaterialibus habent.*

§. XVII.

§. XVII.

Coheſio partium ſolidarum & impulſus, primariæ ſunt ideæ corporis.

PRimariæ, *quas habemus, ideæ corporum propriæ*, prout ſpiritui opponuntur, *ſunt coheſio ſolidarum*, & conſequenter *partium* ſeparabilium, *& potentia motum communicandi per impulſum*. Hæ, puto, originales ſunt *ideæ* propriæ & peculiares corporis: *Figura* enim finitam extenſionem conſequitur tantummodo (*).

§. XVIII.

(*) Neque *coheſio* partium ſolidarum & ſeparabilium, neque *potentia* communicandi motum per impulſum conſtitui poſſe videntur, tanquam ideæ originales, propriæ & peculiares corporis, eo ſenſu, quo ideam originalem corporis ſumit Lockius; nimirum ſine qua nec concipi poſſit corpus, & quæ nullam antecedentem ideam ſupponat, quam conſequatur, & a qua pendeat. *Coheſio* enim partium ſeparabilium & ſolidarum ſupponit ideam iſtarum partium antecedentem earundem cohæſioni. nam hujuſmodi partes ante actualem cohæſionem, aut concipiendæ ſunt ſub idea ſolidæ extenſionis aut ſimpliciter ſub idea ſoliditatis ſine ulla extenſione. Si Lockius reſpondeat concipiendas eſſe ſub idea ſoliditatis ſine extenſione, ſibimet ipſi contrariatur, cum lib. 4. c. 10 §. 14. fateatur impoſſibile eſſe ens extenſum ex partibus non extenſis colligi; atque alibi oſtendat ex propriis principiis, ſoliditatem ab extenſione proficiſci, ejuſdemque eſſe proprietatem. Similiter *potentia* communicandi motum per impulſum ſupponit ſoliditatem ſive impenetrabilitatem corporis impulſi, quæ ſoliditas ab extenſione proficiſcitur; unde etiamſi concederetur corporibus potentia communicandi motum per impulſum; hujuſmodi potentia haud eſſet idea originalis corporis ſive materiæ, eo magis, quod ſine hujuſmodi potentia concipi poteſt corpus ſive materia, Præterea in corpore haud concipi poteſt potentia activa communicandi motum per impulſionem, abſque eo quod evertatur quod Lockius l. 2. c. 21. § 72. aſſeruit, nimirum motum conſiderari debere in corporibus tamquam ſimplicem paſſionem; & quod l. 4. c. 10. §. 10. ſtatuitur ſubſtantiam ſolidam non poſſe moveri, niſi ab agente exteriori, quia ex ſe motus incapax eſt, & ſuis viribus nequit ſe movere (*a*). *THIELE*.

(a) Vides, quam optime arguit illuſtrans.

§. XVIII.

Cogitatio & Voluntas, Primariæ ſunt ideæ ſpiritus.

IDeæ, quas habemus, *Spiritui peculiares*, ſunt *Cogitatio*, *& Voluntas*, ſive potentia motum corpori impertiendi per cogitationem (*); &, quod hanc

(*) Definitio hæc voluntatis omnino chimærica eſt, & longe abeſt a vera activa potentia, quam in nobis experimur. Supponamus enim hominem dormientem in paralyſim incidere, adeo ut non niſi caput ipſi liberum remaneat; expergefactus ſurgendo omnino, ex ſe impotens eſt, & tamen ſurgendi voluntatem veram, realem atque præciſam experitur, quam prioribus diebus, in quibus bene valebat, experiebatur: num ex hac Lockii definitione dicendum erit, paralyſim eidem homini voluntatem abſtuliſſe, quia abſtulit potentiam impertiendi motum corpori per cogitationem? Diſtinguendus igitur eſt actus interior & proprius voluntatis ab actibus exterioribus corporis, qui haud pendent profecto ab actu interiori, niſi ex generali conjunctionis lege a Deo conſtituta inter animam & corpus (*b*). Præterea qualitates, ſive ideas originales a Lockio allatas, corpori peculiares, cum ideis ſive qualitatibus ſpiritui peculiaribus comparantes, hanc differentiam deprehendemus, nimirum quod ideæ originales corporis, cohæſio ſcilicet ſolidarum partium, atque impulſus, recta via ad extenſionis cognitionem, quæ ejuſdem ſubjectum eſt, nos ducunt; & e contra ſenſus interior, quem experimur, cogitationis noſtræ, atque voluntatis, haud claram nobis ſuppeditat cognitionem naturæ ſubſtantiæ, quæ ſubjectum eſt cogitationis, & voluntatis ſuſtentaculum. Hoc tamen haud obſtat, quominus ad evidentiam probari nequeat Animæ immaterialitas, ſi ſenſum noſtrum interiorem comparemus cum idea materiæ, quæ quidem cogitationum proprietatibus, quas in nobis experimur, non modo expers, ſed neque capax eſt. *THIELE*.

(b) Inutilis diſtinctio, ſupervacanea reflexio. Cum dixerit Lockius potentiam *corpori impertiendi motum*, non dixit motum. Hic eſt actus, illa poſſibilitas. Ulterius hic reſpicitur anima non corpus, quo ad primam, ſit hoc nec ne effectus non ſemper eſt penes ſe facultas movendi, ut luculentius patet.

hanc potentiam ſequitur, *Libertas*: Sicut enim corpus non poteſt non motum ſuum per impulſum altero cum corpore communicare, quod quieſcit; ita poteſt mens motum tribuere corporibus, vel non tribuere, prout ipſi libuerit. *Ideæ* Exiſtentiæ, Durationis & Mobilitatis, communes ſunt utrique.

§. XIX.

Spiritus motus capaces.

HAud mirum videri debet, me, *Mobilitatem ſpiritus propriam eſſe, dicere*: cum enim non aliam habeam motus *ideam*, præter diſtantiæ mutationem, cum aliis entibus, quæ tanquam quieſcentia ſpectantur; & cum videam, ſpiritus, haud ſecus, ac corpora, non poſſe operari, niſi ubi ſunt; & ſpiritus diverſis temporibus in locis diverſis operari, non poſſum non loci mutationem finitis omnibus ſpiritibus tribuere: (de infinito enim Spiritu haud hic ſermo eſt). Cum enim anima mea ens ſit reale, perinde ac corpus, æque poteſt diſtantiam mutare cum alio quodam corpore, aut ente, ac corpus ipſum; & proinde motus eſt capax. Et ſi Mathematicus poteſt certam conſiderare diſtantiam, aut diſtantiæ iſtius mutationem, inter duo puncta; poſſumus certe diſtantiam, & mutationem diſtantiæ inter duos ſpiritus, & proinde motum illorum, acceſſum ad ſe, aut receſſum a ſe invicem concipere (*).

(*) Ideæ, quas cum ſpiritibus, tum corporibus communes eſſe aſſerit Lockius, ſunt exiſtentiæ, durationis, atque mobilitatis. Quoad ideas exiſtentiæ & durationis, inficiari nequimus eaſdem tum ſpiritibus, tum corporibus convenire; at quoad mobilitatem, ſpiritus cum locum non occupent, locum mutare nequeunt. Hac ratiocinatione utar. Duo entia diſtantiam mutare nequeunt, niſi

§. XX. Unuſquiſque in ſemet experitur, poſſe animam cogitare, velle, & operari in corpus ſuum, in loco, ubi illud exiſtit; non poſſe vero in corpus operari, aut in loco, qui centum milliaria ab eo diſtat. Nemo ſibi facile imaginabitur, animam ſuam cogitare poſſe, aut corpus quoddam movere apud *Oxonium*, dum ipſemet *Londini* agit; atque ignorare nequit, eam, cum corpori ſit unita, per totum iter

---

niſi alterutrum mutet locum, & niſi per loci mutationem ens aliquod diſtantiam mutet reſpectu alterius entis, quod quieſcit. Sub idea igitur mutationis loci concipitur præciſe motus. At cum evidens ſit nil poſſe mutare locum, quam quod occupat locum; ſequitur quod quidquid occupat locum, motus capax eſt. Agitur itaque de eo, utrum ſpiritus locum occupet necne? His deciſis, ſolvitur quæſtio. Si locum occupat ſpiritus, certum eſt ſpiritum eſſe capacem motus: ſi minime, certum eſt ideam ſpiritus, & ideam motus eſſe incompaſſibiles: ſpiritus enim locum non occupans, nequit mutare locum; & cum nequeat mutate locum, nequit quoque capax eſſe motus. Fateor equidem cum Lockio ſpiritum eſſe Ens adeo reale quam corpus: licet enim naturam ſpiritus haud clare non concipiamus, quam naturam corporis: ſenſus tamen interior, quem experimur, noſtrarum cogitationum, ſatis ſuperque noſmetipſos convincit, cogitationis Ens eſſe adeo reale, quam realis quoque extenſio eſt. Si conſideremus in ſe ipſa cogitationem, ex eo quod annuit etiam Lockius eſſentiale eſſe unicuique Enti cogitanti, ut ſe ſentiat, concludi poteſt contra ipſum Lockium cogitationem eſſe intrinſecam proprietatem ſubſtantiæ ſpiritus, quia ſpiritus nil adeo intimum in ſe experitur, quam cogitationem. Quod ſi dicatur cogitationem eſſe modum ſpiritus, reſpondendum erit, quod ſicut realitas modi non eſt diſtincta a realitate ſuimet ipſius ſubjecti; ita realitas, quam concipimus in cogitatione, debet ipſamet eſſe realitas ſpiritus. Nequit igitur concipi ſpiritus, niſi quaterus Ens, & realitas cogitationis. His poſitis; ut agnoſcamus utrum ſpiritus occupare poſſit locum, explorandum eſt, utrum cogitatio occupare poſſit locum necne? Si ex hac inveſtigatione inveniemus, quod idea occupandi loci non congruit cum cogitatione, haud verebimur aſſerere, hanc eandem ideam non

iter inter *Oxonium* & *Londinum*, currus ad inſtar, aut equi, quo vehitur, locum conſtanter mutare: & puto, vere dici poteſt, per tempus illud ſemper in motu eſſe. Si qui negabunt hoc motus ejus claram ſatis *ideam* nobis præbere, ſeparatio iſtius a corpore in morte, illud puto, faciet: eam enim conſiderare tanquam e corpore exeuntem, aut relinquentem illud, nullam tamen motus iſtius *ideam* habere, mihi impoſſibile videtur (*).

non congruere cum natura ſpiritus, qui eſt Ens & ſubſtantia realis cogitationis. Neque aliter profecto concludi poteſt: quandoquidem cum non occupet locum, niſi quod extenſum eſt, neque extenſum concipi poſſit, niſi concipiatur longitudo, latitudo, & profunditas; hæc omnia in cogitatione concipi deberent, & merito quæri poſſet cuidam ſic ſentienti, quantum quædam ipſius cogitationes præpollent quibuſdam aliis ejuſdem cogitationibus longitudine, aut latitudine: & ſimiliter, utrum inter ipſas recenſeantur quædam aut ovales, aut rotundæ, aut quadratæ &c. At nil abſurdius, quam cogitationem concipere veluti quid extenſum. Non poteſt ergo concipi Ens cogitationis ſive ſpiritus occupare locum; nequit ergo mutare locum; ergo neque motus eſt capax (c). THIELE.

(c) Libenter omnia illuſtranti concederem, ſi neſcirem, quod actio animæ ſit in loco, ſecus non conciperemus quomodo hoc illudve membrum moveretur ab illa. Hinc eſt, quod ſubjectum ipſius actionis debet in loco pariter eſſe: Verum, quæſtio eſt valde involuta, ac perdifficilis; nos in meditatione eam peragemus.

(*) Impoſſibile abſolute eſt ut concipi poſſit, cogitationem, aut voluntatem veluti in loco conſtitutas eſſe: ad hoc enim neceſſe eſſet ut conciperetur cogitatio, aut voluntas tanquam quid extenſum, atque loco commenſurabile, quod quidem ex interiori ſenſu quilibet experitur haudquaquam admitti poſſe. Quando igitur dicimus animam poſſe cogitare, & corpus, cui conjungitur, in loco, in quo illud exiſtit, movere; hæ loquendi formæ, ut intelligi poſſint, explicatione indigent. Et primum, quando dicitur anima operari poſſe in corpus ſuum, atque illud in loco, ubi exiſtit, movere: diſtinguendum eſt in hac operatione id quod agitur in anima, & id quod agitur in corpore;

§. XXI. Si quis dicat, eam non poſſe locum mutare, quem non habet; Spiritus enim non ſunt in *loco*, ſed *ubi*; iſta credo loquendi formula haud magni erit momenti, præſenti ſeculo, quo non familiare

---

pore; in anima non agnoſcitur niſi voluntas, ſeu deſiderium movendi corpus cui unitur: & motus corporis huic deſiderio ſuccedit juxta leges unionis animæ cum corpore. Quocirca dicere poſſumus animam movere corpus in loco, ubi illud exiſtit; quia motus corporis nonniſi in loco, in quo exiſtit, inchoare poteſt: Sed actus, quo anima vult, ut corpus moveatur, in loco locari nequit, quia nullam occupat extenſionem (*d*). Inſuper cum dicimus animam eſſe in corpore, cogitare in corpore, egredi e corpore, hi loquendi modi ſignificant tantum animam conjungi corpori, cogitare in corpore ex hujuſce unionis vinculo, ac tandem poſt aliquod tempus haud amplius corpori unitam fore (*e*). Conjunctio hæc profecto haud poteſt congruere cum vulgaribus præjudicatis ſententiis, perinde ac ſi opinari debeamus animam corpus ingredi, ac per illud ſeſe extendere, uti liquor ſolet per vitreum vas: in ipſo claudi, uti in automataria machina ferrea potentia clauditur; & ex ipſo egredi, uti per reſpirationem halitus e pulmonibus exire ſolet (*f*). Mirum quoque eſt Lockium tam abſurda cogitaſſe. Anima enim non eſt ſita in corpore, veluti cerebrum in calvaria; neque ſita eſt in loco, in quo exiſtit corpus; ſed tantum unitur corpori per reciprocam cogitationum, atque motuum relationem. Unde neque mutat locum cum corpore, neque vehitur tamquam curru vel equo; & in cæco errore verſatur quicunque concipit animam

(d) Locus eſt modus determinatus coexiſtendi cæteris (45 *t.* 2) quid repugnat ergo, quod ego conſiderem animam ad hæc cætera quemdam tenere modum, etſi nullam habeat extenſionem? Anima eſt ens, non ens immenſum, & infinitum, ſed circumſcriptum; quidquid ergo ſit, ſemper conſiderari debet, habita ratione ad entia extra ſe poſita, & juxta ea ſuam concipere relationem.

(e) Quænam eſt differentia inter tempus, in quo corpori unitur, & in quo ab eo ſejungitur? Si recte video, tota eſt in modo coexiſtendi cum corpore; ergo ſupponit modum determinatum cæteris coexiſtendi (45. *tom.* 2.)

(f) Cum ratione dubito, ex verbis illuſtrantis hic poſſe, animam Mundanam, eruere, & in Spinozæ ſyſtema incidere.

liare eſt hominibus pati, ut per ejuſmodi terminos, qui nequeunt comprehendi, in errorem rapiantur. Si quis vero putat, in iſta diſtinctione ſenſum aliquem ineſſe, eamque hic uſurpari poſſe, vellem eam verbis, quæ intelligi poſſint, exprimeret, atque in-

---

mam mutare locum cum corpore, dum *v. g.* Londino Oxonium quis proficiſcitur, ex eo quod anima ſit conjuncta corpori: nam concluſio talis admittenda foret, ſi anima unita eſſet corpori, quemadmodum ferrea potentia automatariæ machinæ conjungitur; at quia abſurdus eſt hujuſmodi ſenſus, neque ſic concipienda eſt conjunctio animæ cum corpore; illud itaque ſemper certum, atque indubitatum manebit, conjunctionis vocem nil aliud ſignificare, quam reciprocam cogitationum, atque motuum relationem. In hoc ſenſu patet, quod per nullam Logices regulam inſtitui poſſet hæc ratiocinatio: *Inter animam atquecorpus mutua deprehenditur relatio cogitationum atque motuum: ergo anima mutat locum cum corpore.* Conſequentia hæc minime profecto reſpondet antecedenti (g). Quoad vero ſeparationem animæ a corpore, quo exemplo fidentius nititur Lockius: num hic ſibi facile imaginatus eſt, animam egredi e corpore, perinde ac homo egreditur e cubiculo, ſive domo? Poteſtne concipi hujuſmodi ſeparatio animæ a corpore, niſi quoque concipiatur Ens cogitationis nimirum anima, tanquam quid extenſum & materiale, quod occupat locum, atque loco eſt commenſurabile? Hoc profecto abſolute impoſſibile eſt. Anima igitur non exit e corpore niſi eo ſenſu, quod nimirum mutua cogitationum animæ, & motuum corporis relatio (h), & conſequenter conjunctio ceſſat. Cum deficit circulatio ſanguinis, neque ab eo ſeparantur amplius animales ſpiritus, fibræque oſcillationem amittunt, & rigeſcunt; tunc ceſſat mutua relatio, animæ ſcilicet & corporis conjunctio; neque anima unita eſt amplius corpori, ſed ſtatum mutat, at non mutat locum (i). *THIELE.*

(g) Hæc non eſt argumentatio, potius hæc altera. Anima exerit ſuas vires in corpore circumſcriptas, ergo ſubjectum ipſarum virium debet in ipſo corpore adeſſe, & cum corpore morari. Atqui corpus &c.

(h) Hæc relatio ad motus corporis illud conſtituit, quod ideam loci ſuppeditat.

(i) Quid ad rem intermiſſio vel continuatio virium, cum relatione cæteris habita?

de argumentum duceret ad probandum, Spiritus immateriales non eſſe motus capaces. Fateor equidem, motum non poſſe *Deo* tribui, non quia ſpiritus eſt, verum quia ſpiritus eſt infinitus (*).

§. XXII.

(*) Qui opinantur ſpiritus non eſſe *in loco*, ſed *ubi*, diſtinctione utuntur, quam ne quidem intelligunt. At qui abſque ulla diſtinctione affirmant poſitive, ſpiritum ſive cogitationis Ens nullum poſſe occupare locum, quia nil poteſt occupare locum, quam quod implet locum, atque extenſionem habet æqualem extenſioni loci, qui ab eo occupatur (quod concipi nequit in Ente cogitationis) ii profecto intelligunt, quod affirmant (*k*), & probare poſſunt aſſerta perfacili modo, atque intelligibili tum Græcis terminis, tum Latinis, tum Gallicis, tum Germanicis &c. Illi e contra, qui popularibus quibuſdam loquendi modis innituntur, arbitrantur animam locatam eſſe in corpore, non ſecus ac corpus in curru; Eandem inſtar corporis e Londino Oxonium proficiſci; & in ſeparatione ejuſdem a corpore per motum localem egredi, quemadmodum actuoſus & leviſſimus liquor exhalat vaſe, in quo includitur. At iſti loquendi modi in ſenſu figurato concipiendi ſunt; nam ſecus juxta communem verborum ſenſum haud intelligi poſſunt, niſi quoque concipiatur Ens cogitationis eſſe quid extenſum, & loco commenſurabile, quod cum impoſſibile clare noſcat quicunque paulumper in id ſerio animum intendit, facile quoque convincitur paſſim eſſe decipi a terminis, qui haud magis comprehendi nequeunt (**), quam memorata ſuperius diſtinctio non *in loco*, ſed *ubi* (*l*). *THIELE*.

(k) Dubito, quin illuſtrans ideam loci enodatam habuerit. Non requiritur ad conſtituendum locum, philoſophorum ſenſu, quam relatio, modus, cæteris coexiſtendi, ita ut ſi externa mutantur, etſi, quid conſideretur ſemper, ita dicam, in quiete manere, attamen dici poteſt hoc quid locum mutare. Ergo mutatio loci quoad partes ſui nequit fieri, non quoad partes externas.

(**) Omnia quæ hic dicit illuſtrans, ſunt ea, quæ invenio apud eundem *GERDIL* (*V. ib pag* 47. 48. 50.)

(l) Concipitur clare, ſi quæ diximus habentur perſpecta. Nimirum *non in loco*, quatenus in partibus commenſurabile, ſed *ubi* quatenus hic non illic ſuas exerit vires, quidquid aſſerat Lockius.

§. XXII.

Animæ & corporis ideæ comparantur.

COmplexam itaque *ideam* noſtram *Spiritus*, cum *corporis* idea complexa comparemus, & videamus, utrum plus ſit in una, quam in altera, & in qua plurimum ſit obſcuritatis: Corporis *idea* noſtra, puto, eſt ſubſtantia extenſa, ſolida & potentia prædita motum communicandi per impulſum: & animæ noſtræ tanquam ſpiritus immaterialis *idea* noſtra, eſt ſubſtantiæ cogitantis, & potentiam habentis motum in corpore excitandi, per voluntatem, aut cogitationem. Hæ, ut opinor, ſunt complexæ noſtræ *ideæ animæ* & *corporis*, prout inter ſe contradiſtinguuntur. Nunc videamus, utra magis obſcuritate laboret, & conceptu ſit difficilior. Hominibus, ſcio, quorum cogitationes penitus in materiam ſunt immerſæ, quorumque animæ ita ſenſibus ſunt ſubjectæ, ut ulterius raro ſpectent, moris eſt dicere, ſe rem cogitantem comprehendere non poſſe, quod, fortaſſe, verum eſt: hoc etiam affirmo, ipſos, quando illud ſerio perpenderint, non magis poſſe rem extenſam comprehendere.

§. XXIII.

Partium ſolidarum cohæſio in corpore, haud minus difficul:er concipitur quam cogitatio in anima.

SI dicat quis, ſe neſcire, quid illud ſit, quod in ipſo conſiſtat: hoc innuit, ſe neſcire, quæ ſubſtantia ſit rei iſtius cogitantis: aſſero ego, nec magis novit, quæ ſit ſubſtantia rei iſtius ſolidæ. Præterea ſi dicat, ſe neſcire, quomodo cogitet; reſpondeo, neque ſcit, quomodo id ſit extenſum; quomodo

do corporis partes ſolidæ uniantur, aut cohæreant ita, ut extenſionem efficiant. Etſi enim preſſura particularum aeris, rationem fortaſſe reddat *cohæſionis plurimarum materiæ partium*, quæ craſſiores ſunt aeris particulis, & poros habent corpuſculis ejus minores; gravitas tamen, aut compreſſio aeris, haud rationem explicabit, nec cauſa eſſe poteſt cohæſionis ipſarum aeris particularum. Et ſi preſſura Ætheris, aut alius materiæ cujuſdam aere ſubtilioris, unire poteſt, & colligare partes portionis aeris, æque ac aliorum corporum, non poteſt tamen hæc ſubtilis materia vincula ſibimet aptare, & complexu ſuo partes continere; quæ minimum quodque corpuſculum *materiæ* iſtius *ſubtilis* conficiunt. Adeo ut hypotheſis hæc, utut ingenioſe explicetur, oſtendendo, partes corporum ſenſibilium colligari, preſſura aliorum externorum corporum inſenſibilium, unionem partium ætheris ipſius non explicet; & quo dilucidius oſtendit, Ætherem, preſſura externa, corporum aliorum partes vinculis ſuis conſtrictas tenere; nec aliam cauſam cohæſionis & unionis illarum concipi poſſe: eo majori in ignoratione verſamur cohæſionis partium corpuſculorum ætheris ipſius: quæ neque concipere poſſumus partium expertia eſſe, cum corpora ſint, & diviſibilia, nec quomodo partes cohæreant quia non eam habent cauſam connexionis ſuæ, quæ cohæſionis aliarum omnium corporum partium rationem explicare poſſit.

§. XXIV. Vera autem re, *preſſura fluida cujuſdam ambientis* utcunque magna ſit, *nequit eſſe cauſa luculenta cohæſionis partium ſolidarum materiæ*. Etſi enim ejuſmodi preſſura impedire poteſt, quo minus planæ duæ ſuperficies avellantur, una ab altera per lineam illis perpendicularem, ut in experimento marmorum duorum perpolitorum videre eſt; haudquaquam tamen obſtare poteſt, quo minus ſeparentur per motum, in linea ſuperficiebus iſtis parallela. Quo-

Quoniam, cum liberum penitus ſit fluido circumambienti ſuccedere in punctum unumquodque ſpatii, derelicti per motum lateralem, haud magis corporum ita junctorum motui obſiſtit, quam corporis iſtius motui reſiſteret, ſi a fluido iſto undique foret cinctum, nec aliud ullum corpus contingeret. Quare ſi non alia eſſet cauſa cohæſionis, corporum partes omnes, per motum ejuſmodi perlabentem, facile a ſe invicem ſepararentur. Si enim preſſura Ætheris cauſa ſit adæquata cohæſionis, ubicunque cauſa iſta haud operatur, ibi non poteſt eſſe cohæſio. Et quoniam contra lateralem hujuſmodi ſeparationem nequit operari, (prout oſtenſum eſt) idcirco in omni plano imaginario, molem quandam materiæ interſecante, haud cohæſio major eſſe poſſit, quam duarum ſuperficierum expolitarum, quæ non obſtante imaginaria quadam fluidi preſſura, facile ſemper a ſe invicem relabentur, adeo ut, fortaſſe, qualitercunque claram putamus nos *ideam* habere extenſionis corporis, quæ nihil aliud eſt præter ſolidarum partium cohæſionem, qui rem iſtam animo recte contemplabitur, rationem inventurus ſit, ut concludat, facile æque eſſe, *ideam habere claram cogitationis animæ*, *ac extenſionis corporis*. Cum enim corpus non aliter extendatur, quam per unionem & cohæſionem partium ſolidarum, haud recte comprehendemus corporis extenſionem, niſi intelligamus, in quonam unio & cohæſio partium iſtius conſiſtant; quod mihi haud minus videtur difficile, quam modum comprehendere, quo cogitatio perficiatur (93).

§. XXV.

---

(93) Quando dicatur adhuc fieri propter vim activam, quam *attractionem* appellant, quid aliud dicitur præter aliquid analogum illi, quod dicimus; quando experitur quid ſit cogitatio, nimirum actus animæ, vel vis activa animæ, qua percipit notas objectorum &c.? (1. *tom.* 2.).

§. XXV. Fateor equidem, mirum pleriſque videri, ſi difficultatem in iis deprehendimus, quæ ſe quotidie obſervare putant. Annon videmus, dicent illi, corporum partes firmiſſime ſibi invicem cohærere? num quid communius eſt? num in dubium vocari poteſt? idem de cogitatione, & motu voluntario dicendum eſt: annon iſtud intus in nobiſmet ipſis indeſinenter experimur, num de eo igitur ulla dubitatio eſſe poteſt? rem de facto claram eſſe conſiteor, quando vero paulo propius eam introſpicere velimus, & contemplari, quomodo fiat, ibi, puto, in unius juxta ac alterius ignoratione verſamur; & neſcimus æque, quomodo corporis partes cohæreant, ac quomodo noſmet res percipiamus, aut moveamur. Vellem quis mihi intelligibili ratione explicaret, quomodo partes *auri*, aut *æris*, (quæ modo in fuſione ſolutæ adeo erant & liberæ a ſe invicem, ac particulæ aquæ, aut clepſydræ arenulæ) paucorum ſpatio momentorum uniantur, & firmo adeo nexu ſe mutuo complectantur, ut non ſumma lacertorum contentione ſeparari poſſint (94): in hoc caſu vir conſideratus, arbitror, haud facile inveniet, quomodo ſuæ ipſius, aut alterius intelligentiæ expectationem explere poſſit.

§. XXVI. Corpuſcula iſta, quæ fluidum illud componunt, quod *Aquam* appellamus, minuta adeo ſunt, ut de nemine unquam audiverim, qui microſcopii adminiculo (etiamſi audivi quoſdam objecta decies millies majora, imo multo magis, feciſſe) ſe diſtinctam illorum molem, figuram, aut motum percepiſſe, oſtentaret; atque aquæ particulæ plane adeo liberæ ſunt a ſe invicem, ut minima vis ſenſibiliter compagem illarum ſolvat. Imo, ſi motum illarum perennem ſpectemus, fatendum erit, eas haud inter ſe

(94) Hoc ultimum potius, habita ratione ad vim, qua cohærent.

ſe nexas eſſe: acri tamen ingruente frigore, adunantur ſtatim, atque cohærent atomi iſtæ exiles, nec, niſi per vim magnam, ſeparari poſſunt. Si quis vincula invenire poſſet, quibus vaga hæc & ſoluta corpuſcula firme adeo colligantur, ſi qua conglutinatione arcte adeo connectantur, magnum equidem, & incognitum adhuc myſterium aperiret: haud tamen eo pacto efficeret, ut corporis extenſionem (quæ eſt partium iſtius ſolidarum cohæſio) plane intelligeremus, donec oſtenderet etiam, in quonam conſiſtat unio, aut conſolidatio partium vinculorum iſtorum, aut iſtius glutinis, aut minimæ materiæ particulæ, quæ exiſtit. Unde liquet, primariam hanc, & quam manifeſtam credimus, qualitatem corporis, re diligenter examinata, deprehenſum iri, æque incomprehenſibilem, ac ullum eſt attributum ad mentem noſtram pertinens; *nec facilius eſſe extenſam ſubſtantiam ſolidam, quam cogitantem concipere*, utcunque nonnulli contra rem iſtam difficultatem habere dictitent (95).

§. XXVII.

Cohæſio partium ſolidarum in corpore conceptu æque difficilis eſt, ac cogitatio in anima.

UT argumentum hoc ulterius paulo inſequi pergam, preſſura iſta, quæ ad corporum cohæſionem explicandam affertur, intellectu æque difficilis eſt;

(95) Lockius cauſa amplificandi ſua argumenta ſuppeditat rationes, quibus contrarium ſuo fini demonſtratur. Quomodo diſſolvatur aurum, & denuo cohæreat, quomodo frigore congelatur aqua, & denuo liquefiat, ab hominibus fuit ſatis perſpectum, quatenus nimirum conſiderantur hæc omnia in ſenſu Auctoris, hoc eſt, habita ratione ad principia, quibus fiunt, non quatenus ad vim incognitam, & quam attractricem appellant.

eſt, ac cohæſio ipſa. Si materia enim ſpectetur tanquam finita, prout revera eſt, velim quis contemplationem extendat ad univerſi hujus extremitates uſque, & videat, quæ vincula putet ingentem hanc materiæ molem coercere, & complexu ſuo arcte adeo continere; unde *chalybs* firmitatem ſuam, atque partes *adamantis* duritiem & indiſſolubilitatem mutuentur. Si materia ſit finita, extrema habeat neceſſe eſt; atque aliquid ſit oportet, quod impediat, ne partium coagmentatio ſolvatur. Si ad difficultatem hanc declinandam, aliquis in ſuppoſitionem & materiæ infinitæ abyſſum ſemet præcipitaverit, velim conſideret, quam lucem inde materiæ cohæſioni allaturus ſit; atque utrum eam magis perſpicuam ac intelligibilem reddat, ſupponendo illud, quod omnium maxime abſurdum & incomprehenſibile eſt: tantum abeſt, ut noſtra corporis extenſio, (quæ nihil aliud eſt præter partium ſolidarum cohæſionem), clarior reddatur, aut magis diſtincta, cum naturam, cauſam, aut modum iſtius inveſtigare velimus, quam cogitationis *ideæ*.

§. XXVIII.

Motus communicatio per impulſum, aut per cogitationem æque intelligibilis eſt.

ALia, quam habemus, *idea* corporis, eſt *Potentia motum communicandi per impulſum*; atque animæ, eſt *Potentia motum ciendi per cogitationem*. *Ideas* has, unam corporis, animarum alteram, quotidiana experientia nobis ſuppeditat; ſi hic vero rurſum quæramus, quomodo hoc fiat, *haud minus in tenebris & caligine verſamur*. In motus enim communicatione per impulſum, in quo tantundem motus uni corpori amittitur, quantum acquiritur alteri; qui caſus eſt uſitatiſſimus, & nihil aliud poſſumus per

hoc

hoc concipere, niſi motum ex uno corpore in aliud tranſeuntem; quod puto, æque obſcurum eſt & conceptu difficile, ac quomodo mentes noſtræ per cogitationem efficiant, ut corpora moveantur aut quieſcant; quod ab illis fieri ſingulis momentis animadvertimus. Motus incrementum per impulſum, quod obſervatur aut accidere aliquando creditur, difficilius adhuc intellectu eſt. Suppeditat nobis diei uniuſcujuſque experientia motuum exempla, quæ per impulſum & cogitationem producuntur; modi vero, quibus fiunt, vix in intelligentiam noſtram cadunt; unum ac alterum juxta ignoramus. Utcunque igitur motum conſideremus, & communicationem ejus a corpore vel ſpiritu, *idea ſpiritum reſpiciens, ad minimum clara æque eſt, ac ea, quæ pertinet ad corpus*. Et ſi vim activam movendi, aut, quod potius dicendum eſt, *motivitatis* ſpectemus, multo magis perſpicua eſt in ſpiritu, quam corpore; cum duo corpora quieſcentia, juxta ſe invicem poſita, nunquam nobis (*) *ideam* ſint exhibitura potentiæ in uno corpore ad alterum movendum niſi per motum mutatitium: cum mens contra, quotidie nobis *ideas* præbeat potentiæ activæ corpora movendi. Quapropter operæ pretium erit conſiderare, utrum *activa potentia* non ſit proprium attributum ſpirituum & *paſſiva* materiæ. Inde conjicere liceret, Spiritus creatos, cum ſint *activi* & *paſſivi*, non plane ab omni ſeparatos eſſe materia (**). Nam

(*) *Auctor hoc ſupra prolixe demonſtravit*, Cap. XXI. §. 4.

(**) Hæc ab impietate excuſari nequeunt, atque quorundam Philoſophorum inter paganos ſententiis cohærent, de quibus Cicero l. 1. de Nat. Deor. *Pythagoras, qui cenſuit animum eſſe per naturam rerum omnem intentum & commeantem, ex quo noſtri animi caperentur, non vidit detractionem humanorum animorum diſcerpi & dilacerari Deum; & cum miſeri eſſent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem eſſe miſeram, quod fieri non poteſt &c.*

Nam cum Spiritus purus, hoc eſt, DEUS, ſolus ſit tantum *activus*; & materia pura tantum *paſſiva* (96); probabile eſt, alia Entia, quæ ſunt ſimul activa & paſſiva, de utroque horum participare (97). Ut ut vero res iſta ſe habeat, habemus, opinor, tot tamque claras *ideas* ad ſpiritum, quot ad corpus ſpectantes, cum utriuſque ſubſtantiæ æqualiter nobis incognitæ ſint; atque *idea* cogitationis in ſpiritu, æque clara apparet ac extenſionis in corpore; & motus communicatio per cogitationem, quam ſpiritui, evidens æque eſt, ac iſta per impulſum, quam corpori tribuimus. Horum utrumque ex quotidiana experientia patet, etſi mentis noſtræ anguſtiæ efficiant, ut neutrum comprehendamus. Quando enim mens ultra originales haſce *ideas*, quas a Senſatione, aut Reflexione nanciſcimur, aciem ſuam intendere, atque in cauſas illarum, & modum productionis penetrare cupit, videmus eam nihil præter caliginem & cæcitatem ſuam perſentire.

§. XXIX.

(96) Hic plura erronea aſſerit Auctor. I. quod materia non habet præter vim paſſivam. II. quod ſpiritus gaudeat vi activa, & paſſiva ſimul, quapropter non ſit a materia prorſus mundatus. Quoad primum, falſitatem luculenter percipis, ut & quoad ſecundum. Ex definitione ſubſtantiæ a Leibnitio data, oritur, materiam, ut ſubſtantiam, vi activa gaudere (43. *tom.* 2.). Quod poſtea ſpiritus gaudeat vi paſſiva, falſum eſt. Si perceptiones, ut ait Lockius eſſent paſſiones ſemel habitæ, eſſent ſemper in anima, per conſequens præter ea quæ alibi diximus (4. *tom.* 2.), eſſet nimirum objectum, & ſubjectum ſuæ perceptionis (*pag* 53. *tom.* 2.), uno tempore eas haberet, neque ſignaculis, ut renoventur, indigerent, quod eſt contra experientiam, per conſequens cum gaudeat tantum vi activa, ex conceſſis ipſius Auctoris, eſt anima noſtra a materia mundata, ut luculentius patet.

(97) Nos diximus, eſſe potius complures ſpirituum claſſes (*V. Med. de anim brut.*) ſed has differre inter ſe non ratione materiæ, ſed ratione perfectioris naturæ.

§. XXIX. Ut omnia concludam, Senſatio, ſolidas dari ſubſtantias extenſas, & Reflexio, cogitantes eſſe, oſtendit. De entium ejuſmodi exiſtentia nos experientia certiores facit; atque uni potentiam ineſſe corpora per impulſum, alteri per cogitationem (98) movendi, res eſt, in qua nulla dubitatio eſſe poteſt. Experientia, inquam, ſingulis momentis unius, & alterius claras nobis *ideas* ſuppeditat. Ultra vero *ideas* haſce, tanquam a ſuis fontibus, ſcilicet a Senſatione & Reflexione, hauſtas, facultates noſtræ penetrare nequeunt. Si naturam illarum, cauſas, & modum ulterius perſcrutemur, haud extenſionis, clarius quam cogitationis *ideam* percipiemus. Si ulterius eas explicare lubuerit, una facilis æque eſt ac altera; haud plus enim difficultatis habet, concipere, quomodo ſubſtantia, quam ignoramus, per cogitationem motum corpori, quam, quo pacto ſubſtantia ignota per impulſum motum corpori tribuerit. Quare haud magis invenire poſſumus, in quonam *ideæ* conſiſtant ad corpus pertinentes, quam quæ ad ſpiritum pertinent. Unde probabile mihi videtur, *ideas* ſimplices, quas *Senſatione* & *Reflexione* recipimus, eſſe terminos cogitationum noſtrarum; ultra quos mens, quacunque demum contentione utatur, haud minimum quidem pergere poteſt: nec, quando naturam, atque *idearum* iſtarum cauſas latentes indagare vellet, quippiam detegere poteſt,

§. XXX.

(98) Melius per voluntatem. Cogitatio eſt actus mentis in percipiendo notas objectorum menti præſentium (1. *tom.* 2.)

§. XXX.

Corporis & Spiritus ideæ comparantur.

ATque ſic itaque in ſumma, ſi, quam habemus, *ſpiritus idea*, cum *idea corporis* comparetur, res ita plane ſe habet. Spiritus ſubſtantia nobis incognita eſt; neque minus & corporis. Duarum *qualitatum primarum*, ſive proprietatum corporis, videlicet ſolidarum partium cohærentium, & impulſus, claras habemus & diſtinctas *ideas*: ita etiam cognoſcimus, & claras habemus diſtinctaſque *ideas* duarum qualitatum primarum, ſive proprietatum ſpiritus, videlicet cogitationis & potentiæ agendi; *i. e.* potentiæ incipiendi, aut cohibendi varias cogitationes, ſive motus. Claras etiam & diſtinctas *ideas* habemus variarum qualitatum in corporibus inhærentium: quæ qualitates diverſæ tantum ſunt modificationes extenſionis, ſive cohæſionis partium ſolidarum, & illarum motus. Habemus etiam *ideas modorum* diverſorum *cogitandi*, videlicet *credendi*, *dubitandi*, *ſtatuendi*, *metuendi*, *ſperandi* (99), *&c.* Habemus etiam *ideas volendi*, *movendi* (100); ſpiritus enim (*), prout ſuperius dixi, inptus eſt capax.

§. XXXI.

(99) Quid ſit in his modis, quam notas minimas percipere, & ex eis conſequentiam eruere?

(100) Ergo motus ad voluntatem, non ad cogitationem pertinet.

(*) Vide ſupra §. 19. 20. 21.

§. XXXI.

Haud pluribus Spiritus difficultatibus, quam corporis notio implicita eſt.

DEnique, ſi notio hæc ſpiritus, nonnullis, fortaſſe, difficultatibus implicata ſit haud explicatu facilibus, non major eſt ratio, cur dubiam haberemus, aut refutatum iremus ſpirituum, quam corporis exiſtentiam: quoniam corporis notio quibuſdam impedita eſt difficultatibus, quas explicari, fortaſſe, a nobis, aut intelligi impoſſibile eſt. Vellem enim libenter, ut quis aliquid oſtenderet, in notione noſtra ſpiritûs magis involutum obſcuritate, quodque propius ad contradictionem accedat, quam quæ in ipſa corporis notione includitur; finitæ enim cujuſdam extenſionis *diviſibilitas in infinitum*, conſequentiis nos implicat, quæ, ſive aſſenſum iis præbeamus ſive aſpernemur (101), explicatu ſunt impoſſibiles, nec ipſæ ſibi in noſtris apprehenſionibus conſtare poſſunt; conſequentiis, inquam, quæ plus difficultatis & abſurditatis in ſe manifeſto continent, quam quæ ex immaterialis intelligentis ſubſtantiæ notione fluit.

(101) Si diviſibilitas in infinitum admittatur, nec etiam cum cogitatione ad prima elementa, quibus eſt materia compoſita, poſſumus pervenire. Quocunque enim modo particula parva concipiatur vi diviſionis diminuta, donec eſt adhuc diviſibilis nunquam conſiderari poteſt ut primum elementum: hoc caſu convenit compoſita admittere ſine partibus componentibus. Si negatur diviſibilitas in infinitum, & admittitur exiſtentia primorum elementorum, quibus materia conflatur, convenit inextenſa ea ſupponere, nam uſquedum extenſa ſunt, diviſibilia ſunt; convenit ergo ſupponere, elementa inextenſa corpora extenſa efficiſſe. *SOAVE*.

§. XXXII.

Nihil ultra ſimplices noſtras ideas cognoſcimus.

NEc mirum hoc videri debet, cum nos pauculas tantum *ideas*, ex rerum ſuperficiebus nacti, eaſque vel a ſenſibus externis oblatas, vel ab animo, cum ea animadvertimus, quæ intus fiunt, haud ulteriorem habemus cognitionem, multo minus conſtitutionis internæ, & veræ rerum naturæ, cum ad eam adipiſcendam haud idoneæ nobis facultates ſuppetant. Cum itaque intus in nobiſmet cognitionem, & motus voluntarii potentiam certo adeo experiamur, ac in rebus externis percipimus cohæſionem & ſeparationem partium ſolidarum, quæ extenſio eſt & motus corporum: *conſentaneum eſt, ut notione ſpiritus, non minus quam corporis contenti, in unius æque, ac alterius exiſtentia acquieſcamus.* Cum enim non magis contradictionem implicet, ut *Cogitatio* exiſtat, ſeparata, & independens a *Soliditate*; quam, ut *ſoliditas* exiſtat ſeorſim a cogitatione, & independenter ab ea; quoniam ambæ ſimplices ſunt ideæ haud a ſe invicem pendentes. Et cum non minus claras habeamus & diſtinctas *ideas* cogitationis, quam ſoliditatis, haud video, cur non æque admittere poſſimus rem cogitantem abſque ſoliditate, *i. e. immaterialem*; ac rem ſolidam abſque cogitatione, *i. e. materiam* exiſtere; præſertim cum conceptu non ſit difficilius, quomodo cogitatio exiſtere ſine conſortio materiæ, quam quomodo materia cogitare poſſit (102). Quandocunque enim ultra ſimplices haſce *ideas*, quas a *Senſatione* & *Reflexione* recipimus, progredi, & in natu-

(102) Perpendite omnia hic expoſita. Videbitis poſtea quo magis inclinet Lockius credendo animam immaterialem, vel materialem eſſe?

naturam rerum altius penetrare volumus, in caliginem ſtatim obſcuritatemque, & nodos difficiles incidimus; nec ulterius aliquid, præter cæcitatem, & ignorantiam noſtram, aperire poſſumus. Utra vero harum *idearum* complexarum, corporis nimirum, aut ſpiritus, maxime perſpicua ſit, hoc certiſſimum eſt, *ideas* ſimplices, e quibus ſunt conflatæ, non alias eſſe, quam quas e *Senſatione* aut *Reflexione* recipimus; idem de aliis omnibus ſubſtantiarum ideis, atque de DEO ipſo dicendum eſt.

§. XXXIII.

Idea Dei.

SI *ideam* enim examinemus, quam de Supremo Ente & incomprehenſibili habemus, videbimus, nos eodem modo eam adipiſci, & complexas, quas habemus DEI, & Spirituum ſeparatorum *ideas*, conflatas eſſe ex *ideis* ſimplicibus, quas e *Reflexione* nanciſcimur; *v. g.* cum ab iis, quæ in nobiſmet ipſis animadvertimus, *ideas* hauriamus *exiſtentiæ*, & *durationis*; *cognitionis*, & *potentiæ*; *voluptatis*, & *beatitudinis*, & plurimarum aliarum qualitatum & potentiarum, quas habere magis e re noſtra eſt, quam ut iis careremus; quandocunque volumus *ideam* effingere Enti Supremo quam maximè conſentaneam, harum ſingulas ampliamus, eaſque *ideæ*, quam habemus, *Infinitatis* (*) conjungentes, DEI complexam *ideam* efficimus (103). Ineſſe enim menti hujuſmodi potentiam ampliandi quaſdam ex *ideis* ſuis a *Senſatione* aut *Reflexione* receptas (**), ante demonſtratum eſt.

(*) De Infinitate ſupra actum fuit, toto Cap. XVII. Lib. II. hujus.

(103) *V. adn.* 78. *tom.* I.

(**) Vid. Lib. II. Cap. XI. §. 6. &c.

§. XXXIV. Si video, me pauculas res quaſdam ſcire, & illarum nonnullas, aut, forte, omnes imperfecte, animo mihi effingere poſſum *ideam* cognitionis duplo plures comprehenſione ſua complectentis; hanc rurſum, quotieſcunque numeri addi poſſunt, poſſum augere, atque ita *ideam* cognitionis ampliare, complexionem iſtius ad omnes res exiſtentes, aut poſſibiles extendendo. Idem facere poſſum ad illas perfectius cognoſcendas; *i. e.* omnes illarum qualitates, potentias, cauſas, conſequentias, relationes, *&c.* donec omnia, quæ illis inſunt, aut ullo modo ad eas reſpectum habere poſſunt, atque ita cognitionis infinitæ *ideam* fingere. Idem fieri poteſt circa potentiam, donec ad eam devenerimus, quæ dicitur *infinita*: atque circa durationem exiſtentiæ, ſine initio aut fine, donec ita *Entis æterni idea* formetur. Cum enim gradus ſive ambitus, intra quos exiſtentiam, potentiam, ſapientiam, atque omnimodam perfectionem (cujus *ideam* quandam habere poſſumus) Supremo iſti Enti tribuimus, quem *DEUM* vocamus, interminati ſint & infiniti, optimam quam poſſumus *ideam* ipſius animis formamus; quæ omnia, inquam, fiunt, ſimplices iſtas *ideas*, quas ab animorum operationibus per reflexionem hauſimus; aut a rebus externis per ſenſus ad eam uſque magnitudinem ampliando, ad quam infinitas poteſt eas extendere.

§. XXXV.

De idea.

INfinitas enim eſt, quæ, *ideis* noſtris exiſtentiæ, potentiæ, cogitationis, *&c.* juncta, complexam iſtam *ideam* conficit, qua nos, quam poſſumus, optime, Supremum illud Ens nobiſmet repræſentamus. Etſi enim in propria eſſentia (quam nos certe non novimus, qui calculi, muſcæ, aut noſtri eſſentiæ

tiæ prorſus ignari ſumus), DEUS ſimplex ſit & incompoſitus; dicere tamen fas eſſe puto, nos non aliam habere ipſius, præter complexam *ideam* exiſtentiæ, cognitionis, potentiæ, beatitudinis, *&c.* infiniti, & æterni: quæ omnes diſtinctæ ſunt *ideæ*, & cum illarum nonnullæ relativæ ſint, ex aliis rurſus componuntur, & cum univerſæ iſtæ, prout oſtenſum eſt, primitus a *Senſatione* & *Reflexione* ortum habuerint, iſtam, quam habemus, DEI *ideam* aut notionem conficiunt.

§. XXXVI.

In complexa noſtra Spirituum idea nullæ inſunt, niſi quæ a ſenſatione aut reflexione oriuntur.

HOc ulterius obſervandum eſt, nullam a nobis *ideam* Deo tribui, *Infinitate* tamen excepta, quæ non etiam complexæ noſtræ aliorum Spirituum *ideæ* pars ſit. Quoniam cum non aliarum capaces ſimus idearum ſimplicium, alterius cujuſdam rei, niſi corporis propriarum, præter illas, quas per *Reflexionem* ab animi noſtri operatione recipimus, non alias poſſumus ſpiritibus tribuere, niſi quas inde nanciſcimur: atque omne illud diſcrimen, quod in ſpirituum contemplatione a nobis fieri poteſt, conſiſtit tantummodo in variis gradibus cognitionis illorum, potentiæ, durationis, beatitudinis, *&c.* nos enim in *ideis* noſtris, tam *Spirituum*, quam rerum aliarum, *ad eas reſtrictos eſſe, quas a ſenſatione & Reflexione recipimus*; hinc patet, quod in *ideis* noſtris Spirituum, ad quemcunque perfectionis gradum, ultra corporearum omnium ſortem, imo ad infinitatem uſque amplificentur, nullam tamen poſſumus modi *ideam* habere, quo cogitationes ſuas inter ſe mutuo communicant: etiamſi concludendum eſt, Spiritus, quæ ſunt entia, quorum cognitio eſt per-

fectior, & felicitas conſummatior eſt noſtra, modum habere perfectiorem, qua ad cogitationes inter ſe communicandas utuntur, quam nos, qui neceſſum habemus ſignis uti corporeis & ſonis præſertim, quorum uſus latiſſime patet, cum notæ ſint optimæ, & maxime compendioſæ. Immediatæ vero communicationis, cum nihil omnino intus in nobiſmet ipſis experiamur, & conſequenter omni prorſus notione careamus, nullam habemus *ideam*, quomodo Spiritus, qui vocibus haud utuntur, poſſit cum celeritate; multo minus, quomodo Spiritus, qui corporum ſunt expertes, poſſint ſuis imperare cogitationibus, eaſque cum aliis communicare, aut occultare pro lubitu, etiamſi neceſſario ſupponendum eſt, ejuſmodi potentiam illis ineſſe (104).

§. XXXVII.

Ἀνακεφαλαίωσις.

HInc videre eſt, *quales omnium generum ſubſtantiarum ideas habeamus*, in quonam conſiſtant, & undenam eas adipiſcamur. Unde manifeſtum eſt, puto: *Pri-*

(104) Etiamſi hoc ſit explicatu difficile, attamen eſt credendum, eſſe quid, ope cujus homines inter ſe cogitata communicent. Pluries adnotavi, & miratus fui, unum ſine ſignis cujuſque generis cum alio congruere in cogitationibus. Loquor *ex. gr.* de Teutonico bello cum amico, vel cum amica de quadam ſupellectili, ſtatim venit mihi in mentem ex hac expetere, an viderit ſuam amicam, vel illi placuerit muſica &c., ſeu ex illo an legerit novum librum &c. antequam id efficiam a me idem, vel ſaltem aliquid ſuper eodem ſubjecto expoſcere audio. Pluries hoc in me ipſo expertus fui cum admiratione magna. Habent ne ſpiritus noſtri facultatem inter ſe conceptus communicandi: vel melius, viciſſim agendi, & ad inſtar tubulorum electricorum proprias actiones alteri ſibi proximo, vel in quodam ſitu, & circumſtantia poſito celerrime communicandi?

Primo, Omnes noſtras *ideas* diverſorum generum ſubſtantiarum, nihil aliud eſſe præter idearum ſimplicium collectiones, una cum ſuppoſitione rei alicujus, ad quam pertinent, & in qua ſubſiſtunt; etiamſi ſuppoſitæ iſtius rei alicujus, nullam omnino claram, diſtinctamque ideam habeamus.

Secundo, Complexas omnes, quas habemus, ſubſtantiarum *ideas*, non ex aliis conflatas eſſe *ideis* ſimplicibus, quam quas a *Senſatione* aut *Reflexione* recepimus. Adeo ut, vel in iis, quibuſcum maxime conſuevimus, & ad quarum perfectam cognitionem nos propius accedere putamus, haud conceptus noſtri vel latiſſimi ultra ſimplices iſtas *ideas* penetrare poſſint. Et in iis, quæ a rebus omnibus, quibus nos utimur, remotiſſimæ videntur, quæque infinite omnia ſuperant, quæ in nobiſmet ipſis per *Reflexionem*, aut in aliis rebus per *Senſationem* reperire poſſumus, non aliud invenimus, præter ſimplices haſce *ideas* primitus a *Senſatione* aut *Reflexione* receptas, uti ex iis, quas habemus, *ideis* Angelorum, & particulatim Dei ipſius, manifeſtum eſt.

Tertio, Pleraſque omnes *ideas* ſimplices, quæ complexam noſtram ſubſtantiarum *ideam* conficiunt, rite examinatas, potentias tantummodo eſſe, utcunque pro qualitatibus poſitivis a nobis vulgo ſumantur; *v. g.* maxima pars *idearum*, e quibus *auri idea* noſtra complexa conficitur, ſunt *flavedo*, *magnum pondus*, *ductilitas*, *fuſibilitas*, & *ſolubilitas in aqua regia* &c. incognito in *ſubſtrato* ſimul unita; quæ omnes *ideæ* totidem tantum reſpectus ſunt ad alias ſubſtantias, & non realiter inſunt in auro ipſo, etiamſi pendent e realibus iſtis & primariis qualitatibus conſtitutionis iſtius internæ, unde aptitudinem habet ad operandum diverſimode in alias ſubſtantias, & ad illarum viciſſim operationes recipiendum.

MEDITATIO
JOHANNIS LEONARDI MARUGJ
IN LOCKIUM
CAP. XXIII.
HUJUS LIBRI
Appoſita.

QUod Lockius hic nobis præſentat, illud eſt quod aſſeruit de ſubſtantia generatim conſiderata. „ Subſtantiam, in„ quit (*a*), ſi recte eam ponderamus, nihil aliud eſſe in„ venimus, quam neſcio quid, quod neque generaliter, neque „ particulariter internoſcitur „. Quid interim pro voce ſubſtantiæ intelligit? Regrediamur ad ea. quæ Auctor ipſe dixit (*b*). „ Qui in hoc *ſubſtantiæ* vocabulo plura reponunt, conſiderent „ quo ſenſu illud uſurpent, & an Deo infinito ac incomprehenſi„ bili, ſpiritibus finitis, nec non corpori adhuc pari modo tri„ buent: ſic pariter ſi vocabulum hoc eamdem ideam excitet, „ quæ his diverſis entibus tribuitur. Si affirmative reſpondent, „ rogo, anne ſequatur, *Deum*, *ſpiritus & corpora*, quæ cum in „ eadem natura ſubſtantiæ conveniant, tantum in nuda hujus ſub„ ſtantiæ modificatione differant..? Ibidem adnoravit *Thiele*, & ante eum *Gerdil* ex quo ille argumenta & verba ſumit (*c*), quod Lockius non enodatius concepit ſubſtantiam, ſi eam habuit tanquam ens in ſpecie, & particulari natura conſtitutum. Ille credit ſubſtantiam ut maſſam, ex qua entia formantur. Videris ergo, quod cum ſubſtantia habeatur tanquam ſignum cujuſdam generalis ideæ, vel clarius, tanquam attributum cuilibet enti commune, quod eſt unumquodque ſuam exiſtentiam habere ab omnium aliorum entium exiſtentia diverſam, ut Carteſiani probarunt, non confunditur profecto ejus notio, neque *Lockius* hoc

---

(a) *V. cap. XXIII. §* 2. 3. hujus libri.
(b) *V. cap. XIII. §* 18. *hujus lib.*
(c) *V. l'Immaterialité de l'ame ib. pag.* 35.

hoc impugnaret, ſi *ſubſtantiam* enodato ſenſu ſumpſiſſet. Quapropter ſupervacaneum eſt argumentum contra Lockium ab ipſo *Gerdil* (*d*) enunciatum; verum cum ſit valde luculentum, illud non omittam. „ Subſtituatur, ait, vocabulo *ſubſtantiæ* vocabulum entis; recentiores enim Peripatetici accidentia rejicientes pro ſynonimis habent; quando internoſcitur res, quæ exiſtit, ajunt, ſubſtantiæ idea habetur, quando internoſcitur modus, quo hæc res exiſtit, *modi* idea acquiritur. *Ens* ergo ſubſtantia eſt: quo pacto, eſt *modus* „. Quam ob rem concludit, ergo *Lockius*, *dicet*, *rogo anne ſequatur*, *Deus*, *Spiritus*, *& corpora*, *quæ cum in nuda ENTIS natura conveniant*, *differant tantum in nuda hujus ENTIS modificatione*, *ut arbor & lapillus*, *quæ eodem ſenſu corpora ſunt*, *& in communi natura corporis conveniunt*, *in nuda tantummodo iſtius materiæ modificatione differunt*. *Si dicunt*, *ſe vocem iſtam Deo*, *finitis ſpiritibus*, *& materiæ in tribus ſignificationibus diverſis tribuere*, *quæ explicent has tres ideas*, *& hæ vocabulo entis indiſtincto modo adhærent*, *quod illi nomina diverſa dent*, *& excogitent*, *ENTI tribui poſſent tres ideæ diſtinctæ*, *quid obſtat*, *quod quarta excogitetur?*

Hinc luculenter videtis, ut alibi adnotavimus (*e*) nos ſubſtantiæ ideam acquirere conſiderando objecta tanquam exiſtentia, hoc eſt conſiderando quid in eis, quod ea conſtituit. Hoc quid etſi nequeamus ſingulatim percipere, vel taxative ſignare, attamen ſcimus, omnibus adeſſe, ex quo, ut ajunt Carteſiani, fluant cætera, vel melius in quo cætera cohærent; per conſequens habemus ideam claram & diſtinctam entis generatim conſideratam, modorum poſtea, qui ipſi enti poſſunt tribui, ignoramus (*).

Quod

(d) *Ibid. pag.* 36.

(e) *V. adn.* 81. *tom.* 1.

(*) Spinoza fortaſſe opponitur. Ait enim, *duæ ſubſtantiæ diverſa attributa habentes nihil inter ſe habent commune* (*V. Eth. P.* 1. *pr.* 2.) & alibi, *in rerum natura non poſſunt dari duæ aut plures ſubſtantiæ ejuſdem attributi* (*ib. pr.* 5.) at ſic Bælius adnotat (*V. dict. Art. Spinoza Remarque P*) „ Spinozæ Achilles, totiuſque Spinoziſtici artificii fundamentum idem tamen adeo perridiculum ſophiſma, ut pudeat logicæ tirones eo capi. Quicunque Philoſophiæ rudimenta tradunt inter prima præcepta ſuos docent, quid hæc ſibi velint, *genus*, *ſpecies*, *individuum*: his nam tota ſpinoziſtica moles ſiſti poteſt. Diſtinguo: non poſſunt dari plures ſubſtantiæ ejuſdem nume-

„ ro

Quod ad rem attinet illud eſt, ut ponderemus, quid ex hoc Lockius arguat, vel arguere credat. Ni fallor, ad hæc reducitur. I. Quod cum nobis non ſit idea clara ſubſtantiæ, nequimus præciſe internoſcere quid ſubſtantiæ corporis, quid ſubſtantiæ ſpiritus inſit, per conſequens quid uni, quid alteri repugnet vel conveniat. II. Quod tam ſpiritui quam corpori concipimus pariter *exiſtentiam*, *durationem*, *mobilitatem*; per conſequens tam corpus quam ſpiritus *ideas*, ut ille ait, vel qualitates inter ſe habent communes. III. Quod ſpiritus creati cum vi *activa*, & *paſſiva* gaudeant non ab omni materia ſint ſeparati, ſed quid medium inter Deum, qui eſt pure *activus*, & materiam, quæ pure paſſiva eſt, conſtituant. Nos more noſtro breviter examinabimus hic quod attinet ad hunc locum, reliqua in lib. 4. hujus tentaminis, videbimus.

I. Vidimus, nobis adeſſe claram ideam ſubſtantiæ, etſi nequeamus ſpeciatim eam determinare in quo vere conſiſtat. Juxta ipſum *Lockium* quid in re conſidero, quod *ſubſtratum* appellatur, hujus ideam acquiro, quatenus mihi repræſento hoc quid ut fulcimentum ceterarum qualitatum, quæ ſenſibus percipiuntur, per conſequens ex Auctoris ſententia hoc quid non debet qualitates ſenſibiles deſtruere, neque eis ſe opponere.

Dum video in corpore ſoliditatem, inertiam, gravitatem, diviſibilitatem, debeo corpori conſiderare hoc quid ut ſuſceptibile harum qualitatum, ſecus non poſſum, tanquam in eo hæc omnia ſuperſtructa credere; pariter concipio quid ſpiritui adeſſe quod ſuſtineat qualitates, de quibus, nulli dubium, nos in eo concipere poſſumus, & cum *cogitatio*, *voluntas*, abſque dubio in eo ſint, dicere debemus, hoc quid non eſſe quam ipſarum qualitatum capax, & quid quid eiſdem opponitur, nullo modo poſſit ſubſtrato huic convenire. En ergo idea clara, ac diſtincta ſubſtantiæ, & hæc eſt idea poſitiva, habita ratione ad ſuam exiſtentiam; negativa poſtea ſi reſpiciatur ad id quod ſubſtantiæ ipſi repugnet (*f*). Philoſophi ex hoc conſideravere accidens ut *adjunctum*

„ ro naturæ, ſive attributi, concedo: non poſſunt dari plures „ ſubſtantiæ ejuſdem ſpeciei naturæ, ſive attributi, nego. Quid „ ad hæc Spinoza? Nam & in ſuis modificationibus ea doctrina & ipſe utatur, neceſſe eſt. Homo, ut ipſe philoſophatur, „ modificationum mundanarum ſpecies una: ejus ſpeciei Socrates individuum: Erit ne Spinoza, & Spinozæ Sicarius unus „ hujus ſpeciei modus „? Quod a nemine, ut puto, inficiari poteſt.

(*f*) Omnes ideæ quot quot ſint, poſſunt conſiderari ut poſitivæ,

ſtum ſubſtantiæ (g), & appellarunt *modum* vel *qualitatem*, qualitatem quoque dixere *attributum*, vel qualitatem *derivativam* (h), per conſequens reſpexerunt, *qualitates*, *attributa*, & ut *affirmativa*, & ut *negativa* (i): illa denotant quid res ſit, hæc quid non ſit, utraque ſimul ad certam veritatem nos ducunt. Dum mihi adeſt tenebrarum idea, certus ſum lucem non eſſe (k), hinc dixerunt Philoſophi, *notionem negativorum ex notionibus eſſe poſitivorum*; ſi ergo concipimus attributum vel qualitatem in ſpiritu, ut & attributum vel qualitatem in corpore, quæ opponuntur inter ſe, vel eſt alteri *negativum* quando uni eſt poſitivum, & contra: videtis clare, nos ſcire luculenter quid uni ſubſtantiæ inſit, vel conveniat, quid alteri; & per conſequens falſum quod Lockius inquit, nos neſcire quid ſpiritui, quid corpori conveniat.

II. Ut clare videatis *Lockii* abſurditatem, hoc ratiocinio utamini. Quæ ſunt ſubſtantiæ habent communes determinationes; ſpiritus, & corpus ſunt *ſubſtantiæ*; ergo ſpiritus & corpus habent determinationes communes. Quæ habent communes determinationes ſunt eadem, corpus & ſpiritus habent comunes determinationes, ergo ſpiritus & corpus ſunt eadem. Quid magis erroneum ac fallax? fallacia eſt in majori primi ſyllogiſmi. Nam habent communes determinationes quoad genus concedo, quoad ſpeciem nego. Ut ſubſtantia conſtituatur, ſufficit *entis* determinatio: corpus, ut ens, eſt determinatum, ut eſt determinatus ſpiritus, in hoc ſenſu quæ uni, alteri conveniunt, non quoad ſpeciem; particulares determinationes particulares ſubſtantias enunciant, quapropter quod convenit uni, alteri repugnat, etſi reliqua, quæ gene-

---

tivæ, & ut negativæ ſimul. Nimirum habita ratione ad unam qualitatem negativæ ſunt, ad alteram poſitivæ. Concipio motum, hæc idea evadit negativa ſi ad corpus applico, quod non movetur, & ſub alio vocabulo, quod videtur ideam poſitivam habere, idem exprimo, nimirum *quietis*, quæ non eſt quam idea negativa.

(g) Dicitur modus habita ratione ad *exiſtentiam*; qualitas, habita ratione ad *eſſentiam*.

(h) *V. Wolf. Ontol. Lat.* §. 460. 461.

(i) Hujus generis haberi poſſunt *extenſio*, & *impenetrabilitas*.

(k) Diximus quod tenebræ, umbræ &c. ideæ poſitivæ ſint, (133. 134. *tom.* 1.) at intelligitur ratione mutationis, quæ poſitiva eſt, non habita ratione ad ſtatum a luce productum. Hic ſtatus enim negativo modo conſideratus dat ideam negativam lucis (*f*) & determinat quid non eſt.

genericam *identitatem* conſtituunt, in utroque obſerventur. Ergo etſi *exiſtentia*, *duratio*, ſint tam ſpiritui quam corpori communes, non ſequitur proprietates reliquas, quæ in ſpiritu obſervantur, & a corpore ſpiritum ſejungunt, corpori tribui poſſe; diverſa eſt igitur idea corporis ab idea ſpiritus, quod eſt contra Lockium (*l*).

Nos mobilitatem omittimus. Hæc eſt quæſtio valde, ut diximus, involuta, ſed aliquid de ea modo dicamus. Mobilitas duplici ſenſu ſumi poteſt, & *relative*, & *abſolute*. Pro mobilitate abſoluta requiritur ſane extenſio, pro extenſione requiruntur partes. Video quod modo duas enunciavi propoſitiones, quæ agitantur in ſcholis, & hactenus nec determinatæ fuere, nec eſt facile determinare (*m*), attamen nos pro argumenti certitudine ad id, quod oppoſito favet, adhæremus (*n*). Non ita dici poteſt pro mobilitate relativa. Etſi mobilitas ſupponere debeat partes, attamen hoc concipitur habita ratione ad relatum, non ad ens, ad quod quid refertur. Supponatur A moveri motu relativo plurium corporum *ex. gr.* B C D. In hoc motu non concipio in A præter modum, quem tenebat cum B C D, etſi in eodem ſpatii puncto remaneat, attamen eandem relationem cum corporibus ſibi adjacentibus non amplius tenet, & potentia hæc mutandi modum coexiſtendi, cæteris, dicitur mobilitas (*o*). Vides ergo mobilitatem relativam non repugnare ſpiritui finito, non ita poteſt dici de abſoluta (*). Melius argumentum enodabimus.

Mathe-

(l) Complures philoſophi quod primum in corpore concipiunt eſt ſoliditas; eſſentia corporis, ajunt, eſt in ſoliditate conſtituta: & ipſe *Gerdil* in opere citato ex hoc ſumit argumentum, cauſa hanc Lockii propoſitionem confutandi. Nos, ait ille, habemus clare ideam corporis ex idea extenſionis ſolidæ, quæ conſtituit corporis eſſentiam, & eſt tantum motu ac figura capax. Nos credimus, hanc quæſtionem effugere, abſque debilitate noſtri argumenti.

(m) Juxta Newtonianos extenſio non ſupponit partes diviſibiles, neque ſolidas, non ita juxta Carteſianos. *Leibnitius* credit (*V. du Recueil tom.* 2.) non dari continuum ejuſdem ſpeciei, ut eſſet pura extenſio.

(n) Lockius credit; extenſioni puræ partes ineſſe (*V. lib* 2. *cap. XV. §. IX X. pag.* 193. *tom.* 2.)

(o) Ergo ut adnotavimus (43 *t.*2.), dici poteſt moveri *ubi* non *in loco*, quidquid afferat Lockius cæterique.

(*) Eſſet petendum, ſubjectum motus eſt quid inextenſum, imma-

Mathematici conſiderant punctum partibus expers, attamen non excludunt ab eo mobilitatem. In mechanica ſæpe ſæpius *Fulcrum*, *hypomochlium* auditis, non eſt quam punctum indiviſibile in vectibus conceptum, attamen dicitur accedere, vel recedere juxta datam rationem a pondere, & ad pondus. Lineæ in circulo protractæ dicuntur accedere vel recedere a centro, attamen centrum non eſt quam punctum mathematicum, nimirum partibus expers. Hoc ſuppoſito, ſupponitur mobilitas, alioquin nec remotior nec vicinior fieret, ſed hæc mobilitas ſupponitur relativa, non abſoluta; pariter, ſi recte video, quid inextenſum moveri poteſt habita ratione ad corpora, quæ recedunt vel accedunt ad quoddam ſpatii punctum, quod tenet quamdam relationem cum ſubſtantia inextenſa, *ex. gr.* vi, effectu &c. ſuarum determinationum. Hoc ſenſu, nos aſſeruimus, ſpiritus finitos mobilitate gaudere, & conſideravimus eos tanquam in corporibus circumſcriptos, videlicet quoad ſuas vires, quæ exerunt in quibuſdam corporibus, nec aliis. Concludimus ergo, mobilitatem eſſe communem tam corpori quam ſpiritui: quoad mobilitatem relativam, concedimus, quoad mobilitatem abſolutam negamus. Pro hac, ut diximus, requiruntur partes, quas in ſpiritibus, ut infra explanabimus, nequimus conſiderare.

III. Hic dicere poſſe, credo, quod Lockius cum dixerit, an materia poſſit cogitare? id dixit abſque voluntate & determinatione vel de hoc ſe in poſterum correxit, vel in contradictionem incidit inconſiderare. Videbimus quod ille dixit (*Cap. X. §. IX. lib. IV.*) „ quod in hoc Univerſo non cognoſcimus præter duo entium „ genera I. pure materialia, quæ ſenſu, perceptione, & cogita„ tione prorſus carent, ut barbæ, ungues; II. ſenſu & cogita„ tione prædita, cujuſmodi nos ipſos deprehendimus, & in po„ ſterum entia *cogitantia*, & non *cogitantia* appellabimus: pergit „ deinde, ideo ſaltem, ſi non alia de cauſa, ex eo quia voca„ bula hæc ad noſtrum inſtitutum ſunt magis accommodata, quam „ *materialia*, & *immaterialia* „. Quis ergo non videt conceptuum imparitatem? Ulterius: ibidem (§. X.) obſervaturi erimus, quod his utitur verbis. „ Non magis enim repugnat, ut „ ſimplex materia omnis cogitationis expers ens *mente* & *intel*„ *ligentia* præditum, quam ut pure nihilum materiam ex ſe pro„ duceret „. Dicatur ne, quod ait, *omnis cogitationis expers*, quapropter non intelligit quartam ſubſtantiam, quam alibi indigita-

---

materiale, attamen a corpore ad corpus tranſit; hoc ſubjectum, in quo vis ipſius motus conſiſtit, eſt ne mobile, etſi inextenſum &c.?

gitavit , ſed loquitur hic de pura materia ? Sit . Cur ergo ait interius „ concipi nequit , quomodo *materia* ſive motu præ„ dita ſit , ſive expers iſtius primitus , & ex ſe *ſenſum* , *perce„ ptionem* & *intellectionem* in ſe haberet „ ? Et ut vobis magis eluceſcat argumentum , materia an poſſit cogitare , quid quid Lockius ſcribere intellexerit, hic pauliſper meditabimur :

Duobus modis concipi poteſt materia , vel ut eſt in componentibus, vel ut eſt in compoſitis , per conſequens vel Lockius credit in primis adeſſe cogitationem , ſeu eis non repugnare ; vel adeſſe in ſecundis. Utrumque eſt impoſſibile, ergo &c.

Quoad primum: ex ipſo Lockio (*ib* §. *XIV*.) nobis eſſent infinita entia intelligentia , nam infinita nobis adinvenimus componentia . Si reſpondetur , Deum hanc cogitandi facultatem uni parti dare poſſe ; dici debet , hanc partem vel eſſe ſolidam , reſiſtentem , vel non ; primo caſu non differret a materia , cujus ideam habemus , & daretur vis cogitandi partibus materiæ generatim conſideratæ , quod ex præcedenti ruit ; ſecundo caſu eſſet quid inextenſum (*p*), quod male materiale appellatur (*q*).

Quoad

(p) Adnotetur quod Lockius (*Cap. XXIII. lib.* 2.) ait extenſionem eſſe effectum partium cohæſionis , per conſequens , hac cohæſione deficiente , deficit extenſio.

(q) Scio, quod non deſunt, qui impugnant, dari pure extenſum & eſſe materiæ proprietatem, ſed quanquam majori ratione poſſet contrarium impugnari , nam eſſet figura abſque figurato modus abſque ſubſtantia , impenetrabilitas abſque materia, quod plane repugnat; attamen ne in quæſtiunculis irretiamur, omittimus contrarium hoc , & dicimus quod hoc inextenſum vel eſſet ejuſdem naturæ ſpatii, vel non, I. ſi reſponderetur affirmative; alterutrum concedi debet . vel quodlibet punctum ſpatii hujus , quod pene infinitum concipitur, haberet pariter vim cogitandi , & eſſet quid ab ente nobis cogitante diſtinctum , vel non; primo caſu ſupponeret plura entia intelligentia abſque ratione ; ſecundo ſupponeretur anima mundana: utrumque repugnat. II. ſi reſponſio daretur negativa , nimirum eſſet alterius naturæ , tum ſequi deberet, eſſe ſubſtantiam a ſpatio diverſam , quæ non habet corporis qualitates , & eſt facultate cogitandi prædita . Diceretur ergo , eſſe ſubſtantiam cogitantem a materia , & a ſimplici extenſione diverſam , quam ob rem ſi ad *qualitates occultas*, *formas ſubſtantiales* , *ſpecies intentionales*, quæ omnia jure merito adhuc Lockio ipſo refutante , regredi nolumus (32. *tom.* 2.) fateri debemus, hanc ſubſtantiam eſſe ipſam animam , quam male vult cum materia confundi.

Quoad ſecundum, cum facultas cogitandi conſiſtat in compoſitis, dicendum eſt conſiſtere non in re ſed in modis (*r*), per conſequens ens reale, ut *cogitatio*, eſſet in non reali, quod eſt abſurdum. Si dicitur poſtea conſiſtere in ſimultaneo qualitatum concurſu in componentibus exiſtentium, fatendum eſt, has qualitates vel eſſe ejuſmodi naturæ, vel non. Primo ſenſu collectio qualitatum non efficeret quam collectionem virium ejuſdem naturæ, & nunquam poſſet producere vim naturæ alterius; per conſequens collectio hæc non efformaret cogitationem; ſi credatur eſſe cogitationem in uno eorum componente, etiam ante unionem hanc reducitur ad primum. Si poſtea hæ qualitates conſiderantur inter ſe diverſæ; eſſet tum cogitatio non una, ordinata, libera, ſed plures, confuſæ, neceſſariæ. Non una, nam eſſet compoſitio plurium effectuum diverſarum qualitatum, dependeret a modo ipſius collectionis; per conſequens eſſet confuſa juxta modum ipſarum qualitatum, & modum ipſius collectionis: non libera, nam ſequeretur neceſſe ex ſuæ cauſæ poſitione. Quid abſurdius poteſt dici, vel excogitari?

Quid ergo ſit hæc quarta ſubſtantia, quæ ex materia & ſpiritu conficiatur, non ſolum ignoramus, verum etiam concipere nequimus. An poſtea Deus ſua potentia abſoluta potuerit hanc ipſam creare, ut Auctor dubitat (*ſ*) eſt id quod demum in hac meditatione eſt diſceptandum.

Duobus modis conſiderari poteſt id quod Lockius ait, ut infra melius enodabimus, vel quatenus Deus poſſit facultatem cogitandi materiæ tribuere, vel cum materia conjungere. Si primum, hæc facultas vel concipitur abſque ſubjecto vel cum ſubjecto, ſi ait facultatem hanc puram & abſtractam materiæ donari, dicitur, voluntatem Dei creaſſe quid, quod eſſet materia, & non materia; *materia* quatenus ejuſmodi: non *materia*, quatenus materiæ qualitates, ut vidimus, cogitationem deſtruunt (*t*): eſſet idem ac dicere, Deum ſua potentia infinita efficere poſſe quadratum, quod anguli proprietates haberet. Ecquis non videt, quod unus

(r) Non in re, nam aliter unumquodque compoſitorum eſſet vi cogitandi præditum.

(ſ) *Lib. IV. cap.* 3.

(t) Veteres definiebant *qualitatem* „ per ejuſmodi accidens, a „ quo ſubſtantia denominatur (*V. Velthemii metaph. p.* 1810. *item Schaſi Log. p.* 171). ergo ſi eſt qualitas ſpiritualis, ſubſtantiam ſpiritualem conſtituit; ſi materialis materialem, ut luculentius patet. Si una ſimul, materialem, & ſpiritualem ſubſtantiam pariter una ſimul concipimus.

unus voluntatis actus alterum deſtrueret? Si poſtea diceretur, cum ſubjecto, nimirum quid materiale cum quid cogitante ſimul conjunxiſſe; expeterem hæc duo confunduntur in eſſentia, ita ut unum quid exurgat, vel non? Si primum ad priſtinum redimus, eſſet materiale, & non materiale, ſpiritus & non ſpiritus, & unus creationis actus alterum deſtrueret; Si ſecundum, tum clare intelligitur ens immateriale non confundi cum materiali, & poſſet Deus, ut revera efficit, cum materia ens cogitans conjungere, & eam informare, quod recte anima appellatur (u). Reliqua, quæ ad hoc pertinet in opportuniori loco explanabimus, hactenus dicta pro confutatione ſuperioris capitis ſufficiant.

CAP.

(u) Credo, nullam hic poſſe inveniri difficultatem. Vel eſt unum, vel plura ſimul conjuncta. Si unum, debet dici unum *transſcendentale* (128. *tom.* 1.) per conſequens complicarentur male attributa inter ſe repugnantia; ſi plura, realiter materia & ſpiritus diſtinguuntur inter ſe. Sic *Hebenſtreitius* „omne ens eſt „unum: ſi non omne ens eſſet unum, ſeu non haberet eſſen„tiam indiviſam, tunc non eſſet ens, ſed *entia*, cum diviſa „eſſentia arguat multitudinem, aut minimam qualitatem eſſen„tiarum; multiplicata autem eſſentia, quippe quæ eſt formale „entis, multiplicetur ipſum ens, neceſſe eſt.„ (*Philoſ. prim. p.* 498.)

CAP. XXIV.

De Collectivis Subſtantiarum Ideis.

§. I.

Una idea facta ex coagmentatione plurium idearum.

PRæter *ideas* has complexas diverſarum ſubſtantiarum ſimplicium, uti *hominis*, *equi*, *auri*, *violæ*, *pomi*, *&c.* mens etiam *habet collectivas ideas* ſubſtantiarum, quas ita voco, quia tales *ideæ* conflatæ ſunt ex multis particularibus ſubſtantiis, quæ in unam ita ideam unitæ, & ſimul junctæ tanquam unum quid ſpectantur; *v. g. idea* virorum multitudinis, qui *exercitum* componunt, etiamſi e magno numero conſtet diſtinctarum ſubſtantiarum, haud minus una eſt *idea* quam *idea* hominis. Atque magna iſta *idea* collectiva corporum omnium qualiumcunque, quæ per nomen *Univerſi* ſignatur, una æque *idea* eſt ac *idea* minimæ cujuſvis materiæ particulæ, quæ in eo continetur; ad ideæ enim unitatem ſufficit, ut tanquam repræſentatio, ſive imago una conſideretur, utcunque e plurimis rebus particularibus coagmentetur.

§. II.

Per facultatem componendi in mente fit.

HÆ collectivæ ſubſtantiarum *ideæ*, a mente fiunt per eam, quam habet, vim componendi, & plures diverſas ſimplices aut complexas *ideas* in unum

conjungendi, prout, per eandem facultatem, complexas efficit particularium ſubſtantiarum *ideas*, quæ ex aggregatione conſtant diverſarum *idearum* ſimplicium, in unam ſubſtantiam unitarum: & ſicut mens iteratas *ideas unitatis* componendo, modum collectivum efficit, aut *ideam* complexam numeri cujuſvis, uti *viceſimarii*, *&c.* ita varias particulares ſubſtantias conjungendo, collectivas efficit *ideas* ſubſtantiarum, *v. g. turmæ*, *exercitus*, *examinis*, *civitatis*, *claſſis*; quarum ſingulas, unuſquiſque experitur, ſe, uno intuitu, per unam ideam, menti ſuæ repræſentare; atque ita ſub notione iſta, res ipſas æque plane tanquam unas, ac unam navim, aut atomum unam contemplatur. Nec conceptu difficilius eſt, quomodo exercitus decies mille hominum *ideam* unam quam unicus homo, efficiat; tam facile enim eſt menti plurimorum hominum *ideam*, quam diverſas omnes *ideas*, quæ compoſitionem hominis ingrediuntur, in unum colligere, eaſque omnes ſimul tanquam rem unam contemplari.

§. III.

Res omnes artificiales ſunt ideæ collectivæ.

INter *ideas* ejuſmodi *collectivas*, pleræque res omnes artificiales recenſendæ ſunt, eæ ſaltem, quæ ex diſtinctis ſubſtantiis coagmentantur: &, revera, ſi collectivas haſce *ideas*, quales ſunt *Exercitus*, *Conſtellatio*, *Univerſum*, rite contemplemur; quatenus in tot ſingulares *ideas* uniuntur, artificialia tantum animi ſunt commenta, res disjunctiſſimas, atque a ſe mutuo haud pendentes, uni contemplationi ſubjicientis, quo melius eas ſub uno conceptu comprehenſas, & nomine uno ſignatas contemplemur, atque de iis ſermocinemur. Nullæ enim res ſunt remotæ adeo, aut contrariæ, quas nequeat

queat animus, per artem hanc componendi, ſub una idea complecti, prout videre eſt in re, per nomen *Univerſum* ſignata (105).

C A P. XXV.

De Relatione.

§. I.

Relatio quid?

PRæter ideas, ſimplices aut complexas, quas mens habet, rerum, prout in ſe ſunt, alias nanciſcitur ex illarum comparatione ad ſe invicem. Intellectus, in re quadam contemplanda, haud concluditur intra limites objecti iſtius præciſe: poteſt *ideam* quamvis ultra ipſammet, quaſi, ferre, aut ſaltem, ultra ipſam ſpectare, ut videat, quomodo ſe habeat cum reſpectu ad aliam quandam. Cum mens rem unam ita contemplatur, ut eam ad aliam rem adducat, & prope eam collocet, & contemplationem ſuam transferat ab una ad alteram, hæc eſt, prout voces denotant, *Relatio* & *Reſpectus* (*); atque denominationes entibus poſitivis attributas, reſpectum iſtum denotantes, quaſque uſurpamus pro notis ſive ſignis ad cogitationes, ultra ſubjectum ipſum ita de-

(105) *V. adn.* 30. 33. 37. *tom.* 2.

(*) Hic terminus communius adhibetur cauſa denotandi id quod eſt res habita ratione ad aliam, quam pro ſignificatione actus, quo fit comparatio, licet verus hujus vocabuli ſignificatus ſit ille, quem Auctor tribuit. *SOAVE*.

nominatum, ad aliud quid, ab eo diverſum, ducendas, *Relationes*: & res ita collatas, *Relata* vocamus. Ita cum mens conſiderat *Cajum*, tanquam ens poſitivum, quale eſt, nihil in ideam iſtam ſumit, niſi quod realiter in *Cajo* exiſtit; *v. g.* cum eum tanquam hominem contemplor, nihil in mente habeo, præter *ideam* complexam ſpeciei, hominis: ita etiam, cum dico, *Cajus* eſt homo albus, hominem tantummodo contemplor, albedine iſta affectum. Cum vero *Cajo Mariti* nomen attribuo, aliam quandam perſonam eo ipſo indico, nimirum ejus *fœminam*, & cum dico eum eſſe *albiorem*, aliam rem aliquam denoto, verbi cauſa *Ebur*; in utroque caſu cogitationes meæ feruntur in aliquid extra *Cajum*, atque res duæ conſiderandæ veniunt. Et cum *idea* quævis, ſive ea ſimplex ſit, ſive complexa, in cauſa eſſe poteſt, cur mens hoc modo duas *ideas* conjungat, &, quaſi, ſimul contempletur, etiamſi tanquam diſtinctæ conſiderentur: ideoque quævis ex *ideis* noſtris, relationis fundamentum eſſe poſſunt, ſicut in exemplo ſuperius tradito, contractum cum *Sempronia* matrimonium, anſam præbuit denominationi, ſive relationi *mariti*, & e colore albo accidit, ut albior dicatur, quam *ebur* (106). §. II.

(106) Ex his omnibus colligitur, animam pluribus objectis vim ſuam applicare (*σ. αα. anal. intell. hum. tom.* 1.), & videns hæe plura, adnotat diffetentiam, vel ſimilitudinem, quæ in notis, vel characteribus adinvenitur. Eodem actu quo percipit *Cajum*, percipit notas ipſius *Caji* (33. 37. *tom.* 2.), per conſequens, dicitur, de Cajo cogitare (1. *tom.* 2), ut & albedinem quam in aliis ſubjectis vidit, & habita ratione ad *ebur*, quod pariter ſibi repræſentat, exceſſum vel defectum, ſimilitudinem, vel diſcrepantiam arguit, & *relationem* advertit; en ratio, qua non omnes percipiunt relationes. Oportet plures fibrarum partes excitare (*V. Medit. de mem rem ac phant.*) ut animæ una ſimul in integrum præſententur objecta. Qui ergo ſunt habitu deſtituti plura unico actu percipere (*ι. τ. ξ. αα anal. intell. hum. tom.* 1), vel carent ideis, quibus aliquid poſſit comparari, quacunque ratione fuit, ſunt ad relationes incapaces.

§. II.

Relationes ſine terminis correlativis haud facile percipiuntur.

HÆ, & ſimiles *Relationes*, per *terminos relativos expreſſæ*, *quibus alii termini ſunt*, *ſcilicet Correlata*, uti *pater*, & *filius*; *majus*, & *minus*; *cauſa*, & *effectus*, perſpicuæ ſunt omnibus, & unuſquiſque primo intuitu relatione percipit (107). *Pater* enim, & *filius*; *maritus* & *uxor*, & alii ejuſmodi termini correlativi, plane adeo ad ſe invicem ſpectare, & ex conſuetudine, ſibi mutuo in memoriis hominum reſpondere videntur, ut de illorum alterutro mentione ſemel facta, cogitationes ſtatim ultra rem iſtam ferantur; nec quenquam relatio latet, quæ clare adeo indigitatur. Ubi vero propter Sermonis defectum nomina correlativa deſunt, ibi relatio haud ſemper adeo perſpicua eſt (108). *Concubina*, ſine dubio, terminus relativus eſt, haud minus quam *uxor*; in linguis vero, ubi hæc, & hujuſmodi voces, haud terminum habent correlativum, haud uſitatum adeo eſt hominibus, eas ita intelligere, cum careant evidente iſta nota relationis, quæ inter duo correlata intercedit, quæ ſe invicem explicare, & non niſi ſimul exiſtere poſſe, videntur. Hinc eſt, quod plurima e hominibus iſtis, quæ diligenter experta, relationes plane includunt, denominationes externæ appellata fuerint: alia vero nomina, quæ non ſunt ſoni inanes, *ideam* aliquam ſignificent neceſſe eſt, quæ vel in re eſt, cui nomen tribuitur, & tunc poſitiva eſt, & ſpectatur vel tanquam rei unita, cui denominatio tribuitur, & in ea exiſtens; vel

(107) *V. λ. λλ. ν. anal. intell. hum. tom.* 1.
(108) *V.* 32. *tom.* 2.

vel e reſpectu, quem mens in ea deprehendit, ad aliam rem ab ea diverſam, cum qua ſimul conſideratur, & tunc Relationem includit.

§. III.

Termini quidam, qui abſoluti eſſe videntur, relationem continent.

ALiud genus eſt *terminorum relativorum*, qui haud relativæ, & ne quidem externæ denominationes eſſe cenſentur; *qui* tamen, ſub ſpecie abſolutum quid in ſubjecto ſignificandi tacitam includunt, etſi minus perſpicuam, relationem; id genus ſunt iſti, qui poſitivi videntur eſſe, termini *vetuſti*, *magni*, *imperfecti*, *&c.* de quibus in ſequentibus capitibus fuſius diſſerendi anſa mihi dabitur.

§. IV.

Relatio differt a rebus relatis.

HOc ulterius obſervandum eſt, Relationis *ideas*, poſſe eaſdem eſſe in hominibus, qui rerum relatarum, & ad ſe invicem hoc modo comparatarum, diverſas longe ideas habent; *v. g.* qui multum diſcrepantes *ideas* habent *hominis*, convenire tamen poſſunt in nomine *Patris*, quæ notio ſubſtantiæ hominem conſtituenti, ſuperinducta eſt, & relationem tantum dicit ad rei iſtius actum, quæ *homo* dicitur, per quem ſui ſimilem generavit (109).

§. V.

(109) Idea patris complectitur actum generationis omnium animalium, idea hominis qualitatis. per conſequens hæc in illa, non illa in hoc continetur. Videtis ergo, quod relatio patris non deſtruitur quando adhuc idea hominis præciſa non haberetur.

§. V.

Mutari poteſt relatio ſine immutatione aliqua in ſubjecto.

NAtura itaque *Relationis*, in reſpectu conſiſtit, ſive comparatione rerum duarum, ad ſe invicem; ex qua comparatione una aut utraque denominationem acquirit: quarum rerum ſi alterutra tollatur, aut deſinat eſſe, actum erit de relatione, &, quæ hujus conſequens eſt, denominatione, etiamſi altera nullam omnino mutationem in ſe recipiat; *v. g. Cajus*, quem hodie tanquam *Patrem* contemplor, cras ita eſſe deſinit, per filii tantum mortem, ſine facta ulla in ipſo mutatione; imo, ex eo tantummodo, quod mens objectum immutet, cui rem quampiam comparat, res eadem eodem tempore contrariarum denominationum capax eſt; *v. g. Cajus*, ad plures & diverſas perſonas ſimul comparatus poteſt dici *major*, & *minor natu*; *robuſtior* & *debilior*, *&c.* (110).

§. VI.

Relatio inter duas tantum res eſt.

QUicquid exiſtit, aut exiſtere, ſive tanquam res una conſiderari poteſt, poſitivum eſt; atque ita non ſimplices tantum *ideæ* & ſubſtantiæ, verum *Modi* etiam ſunt entia poſitiva; etiamſi partes, e quibus conſtant, ſæpiſſime relationem ad ſe invicem habeant: totum vero ſimul ſumptum, *ideamque* complexam rei unius in nobis producens: quæ *idea*, etiamſi ex diverſis partibus aggregata in men-

(110) Ruit comparatio, everſo uno objecto comparationis, etſi ſuperſit alterum.

te noſtra tanquam una ſpecies exiſtit, & ſub uno nomine: poſitiva eſt aut abſoluta res ſive *idea*. Id videre eſt in *triangulo*, cujus partes ad ſe invicem comparatæ, etiam *relativæ* ſint, *idea* tamen totius poſitiva eſt & abſoluta *idea*. Idem dici poteſt de *familia*, *ſymphonia*, *&c.* nulla enim Relatio eſſe poteſt, niſi inter res duas, quæ tanquam duæ conſiderantur. Neceſſe eſt, ut in relatione duæ ſemper ſint *ideæ*, ſive res, aut in ſeipſis realiter ſeparatæ, vel quæ tanquam diſtinctæ conſiderantur, quæ dein comparationis illarum fundamentum & cauſam conſtituunt.

§. VII.

Res omnes relationis ſunt capaces.

De relatione in genere, hæc conſiderari poſſunt. *Primo*, Haud *ullam aliquam rem eſſe*, ſive ea ſimplex ſit *idea*, ſubſtantia, modus, relatio, aut horum utriuſvis nomen, *quæ non infinite propemodum* conſiderari poſſit, cum reſpectu ad res alias. In hoc itaque haud exigua pars cogitationum & ſermonis noſtri conſiſtit: *v. g.* Unus aliquis poteſt inſequentes haſce omnes, & longe plures ſuſtinere relationes, *Patris* nimirum, *fratris*, *filii*, *avi*, *nepotis*, *ſoceri*, *generi*, *mariti*, *amici*, *inimici*, *Subditi*, *Imperatoris*, *Judicis*, *Patroni*, *Clientis*, *Profeſſoris*, *Europæi*, *Angli*, *Inſulani*, *Servi*, *Domini*, *Ducis*, *Superioris*, *Inferioris*, *Majoris*, *Minoris*, *Senioris*, *Junioris*, *Contemporanei*, *Similis*, *Diſſimilis*, *&c.* ad infinitum prope numerum. Toties enim Relationem recipit, quoties in quacunque convenientia, inconvenientia, aut reſpectu, ad res alias comparari poteſt: Relatio enim, ut dixi, eſt modus comparandi, ſive ſimul conſiderandi res duas, & ex iſta comparatione uni, aut utrique, & nonnunquam relationi ipſi nomen imponendi.

§. VIII.

§. VIII.

Relationum ſæpiſſime magis perſpicuæ ſunt, quam ſubjectorum relatorum ideæ.

SEcundo, Circa Relationem hoc ulterius conſiderari poteſt quod etiamſi haud in rebus ipſis exiſtat, verum res quædam externa ſit, & Subjecto quaſi adjuncta: *ideæ* tamen, quas voces relativæ denotant, ſæpiſſime magis perſpicuæ & diſtinctæ ſint, quam ſubſtantiarum iſtarum, ad quas pertinent. Multo magis claram, diſtinctamque, *patris* aut *fratris*, quam *hominis* notionem habemus: aut, ſi mavis, *paternitas* res eſt, cujus facilius eſt claram adipiſci, quam *hominis ideam*: & quid ſit *amicus*, quam quid *DEUS*, conceptu multo facilius eſt. Ad *Relationis* enim notionem mihi aperiendam, ſæpiſſime actionis unius, aut ſimplicis *ideæ* notitia ſufficit: ad ſubſtantialis vero entis cujuſdam cognitionem, accurata plurium *idearum* collectio neceſſario requiritur. Qui res duas inter ſe comparat, in quonam comparentur, vix ignorare poteſt: adeo ut, rerum collatione facta, non poſſit non relationis iſtius claram habere ideam. *Relationum itaque poſſunt ſaltem in animis noſtris perfectiores eſſe, & magis diſtinctæ, quam ſubſtantiarum ideæ.* Quoniam ut plurimum ideas iſtas ſimplices, quæ in ſubſtantia quavis realiter exiſtunt, non niſi difficulter, eas vero facile vulgo perdiſcimus, quæ relationem quandam conſtituunt, quæ cogitationem ſubit, quæque nomine aliquo notatur, *v. g.* comparatis duobus hominibus, uno communi *patre* ortis facillimum eſt *fratrum* effingere *ideas*, licet perfectam hominis ideam non habemus. Cum enim ſignificativæ voces relativæ, haud ſecus quam aliæ, *ideas* tantum denotent; cumque iſtæ omnes aut ſimplices ſint, aut e ſimplicibus conflatæ: ad iſtam infant *ideam*, quam terminus relativus ſignificat, plane co-

gnoſ-

gnoſcendam ſufficiunt, ut fundamenti relationis clarum habeamus conceptum; quod fieri poteſt ſine perfecta & clara idea rei, cui tribuitur. Hac ratione, ſi ſcio, avem quandam eſſe enixam ovum, ex quo deinde aliam excluſerit volucrem, claram habeo *ideam* relationis *matris* & *pulli*, inter duas *Caſſiovarias* (*), quas in vivario Sancti *Jacobi* videre licet, etiamſi, fortaſſe, non niſi obſcuram valde & imperfectam avium iſtarum *ideam* habeam.

§. IX.

Relationes omnes in ſimplicibus ideis terminantur.

TErtio, licet rerum ad ſe invicem comparatio, & proinde etiam numerus *relationum*, multiplex ſit, omnes tamen referuntur ad *ſimplices iſtas ideas* Senſationis aut Reflexionis, quas puto, univerſam complecti cognitionis noſtræ ſupellectilem. Id liquido demonſtrabo ex præcipuis relationibus, quarum notionem aliquam habemus, & nonnullis quidem, quæ a *Senſu*, aut *Reflexione* remotiſſimæ eſſe videntur; quas tamen *ideas* inde originem ſuam trahere palam erit, & illarum, quas habemus, notiones, non niſi ſimplices quaſdam *ideas* eſſe, & proinde a *Senſu* aut *Reflexione* primitus ortas.

§. X.

(*) *Avis eſt exotica*. Vide deſcriptionem ejus infra Lib. III. Cap. VI. §. 34.

§. X.

Termini animum ultra ſubjectum denominatum ferentes, ſunt relativi.

QUarto, Cum Relatio ſit conſideratio rei unius ſimul cum altera iſti prorſus extrinſeca, manifeſtum eſt, voces omnes, quæ mentem neceſſario ducunt & quaſi rapiunt ad alias *ideas*, quam quæ ſupponuntur realiter exiſtere in re iſta, cui vox tribuitur, eſſe *terminos relativos*; *v. g. Homo ater*, *hilaris*, *cogitabundus*, *ſitibundus*, *iracundus*, *extenſus*; hæc & ſimilia, ſunt *abſoluti termini*, quoniam nihil denotant, niſi quod in homine, ita denominato, exiſtit aut exiſtere concipimus; *Pater*, vero, *frater*, *Rex*, *maritus*, *atrior*, *hilarior*, *&c.* voces ſunt, quæ ſimul cum re denominata, diverſum aliquid denotant, & rei iſtius exiſtentiæ extrinſecum.

§. XI.

Concluſio.

HIs circa *Relationem* in genere præmiſſis, nunc exempla quædam afferam, ad demonſtrandum, quomodo omnes, quas habemus, Relationis *ideæ*, aliarum ritu, ex ſimplicibus tantum *ideis* componantur; eaſque omnes utcunque a ſenſu ſejunctæ videantur, tandem in *ideis* ſimplicibus terminari. Initium mihi ſumam ab ea, quæ latiſſime patet, & ad quam quæ exiſtunt, aut exiſtere poſſunt, res referuntur omnes, *Cauſæ* nimirum & *Effectus* relatione. Cujus *idea*, quomodo a *Senſatione* & *Reflexione*, duplici noſtræ omnis cognitionis fonte oriatur, ſequenti Capite conſiderabo.

CAP.

C A P. XXVI.

De Cauſa & Effectu, & aliis Relationibus.

§. I.

Ideæ illorum unde?

IN notione iſta conſtantis rerum viciſſitudinis, quæ ſenſibus noſtris obverſatur, non poſſumus non obſervare, varias res particulares, tam qualitates, quam ſubſtantias, initium exiſtendi habere; eaſque exiſtentiam hanc a debita applicatione & operatione alterius alicujus entis recipere. Ab hac obſervatione *ideas* noſtras *Cauſæ* & *Effectus* nanciſcimur. Quod ſimplicem aliquam complexamve *ideam* producit, generali nomine *Cauſam*; quod vero producitur, *Effectum* appellamus. Ita compertum habentes, in ſubſtantia iſta, quam *ceram* vocamus, *fluiditatem*, quæ ſimplex eſt *idea*, quæ non prius inerat, conſtanter produci per certi gradus caloris applicationem; ſimplicem iſtam *ideam caloris*, ceræ fluiditatis *Cauſam*, & fluiditatem ipſam, *Effectum* appellamus. Ita comperientes etiam, ſubſtantiam, *lignum*, quæ certa eſt collectio *idearum* ſimplicium ita dictarum, applicato igne, in aliam immutari ſubſtantiam, quæ *cinis* dicitur; *i. e.* in complexam aliam *ideam*, coagmentatam e collectione *idearum* ſimplicium, a complexa iſta *idea* longe diſcrepantium, quæ *lignum* dicitur; *ignem* conſideramus, cineris reſpectu, tanquam *Cauſam*, & cinerem,

rem, tanquam *Effectum*. Quodcunque igitur conducere opinamur, ad producendam in nobis *ideam* aliquam ſimplicem, aut collectionem ſimplicium *idearum*, ſive ſubſtantia ſit, ſive modus, quæ non prius exiſtebant, illud ſtatim in animo noſtro relationem habet *Cauſæ*, atque ita a nobis denominatur.

§. II.

Creatio, generatio, alteratio.

Acquiſita hoc modo, per ea, quæ a ſenſibus obſervari poſſunt in corporum operationibus in ſe invicem, *Cauſæ* & *Effectus* notione; *Cauſam* nimirum eſſe illud, quod efficit, ut ens aliquod, ſive ſit ſimplex idea, ſubſtantia, aut modus, exiſtere incipiat; *Effectum* vero eſſe illud, quod ab alio initium habet; menti in promptu eſt, rerum origines in duo genera diſtribuere.

Primo, Cum res de novo prorſus ſit, adeo ut nulla iſtius pars unquam extiterit; ut, cum nova materiæ particula exiſtere incipit *in rerum natura*, quæ prius nuſquam erat; *Creatio* dicitur.

Secundo, Cum res e particulis coagmentata eſt, quarum omnes prius exiſtebant, res vero iſta, ita e particulis præexiſtentibus conflata, quæ ſimul ſpectatæ talem *idearum* ſimplicium collectionem efficiunt, nullam antea exiſtentiam habuit, ut *hic homo*, *hoc ovum*, *hæc roſa*, *hoc ceraſum*, *&c.* atque hoc, cum ad ſubſtantiam refertur, juxta conſuetum naturæ ordinem productam, per principium internum, ad agendum vero excitatum, per agens aut cauſam aliquam externam, & cujus operandi modum nos percipere nequimus, *Generationem* vocamus. Cum cauſa eſt externa, & effectus producitur per ſeparationem ſenſibilem, aut *juxta poſitionem* partium ſenſibilium, dicitur *Effectio*, atque id genus ſunt res omnes arti-

tificiales. Cum quædam *idea* ſimplex producitur, quæ ſubjecto iſti haud prius inerat, dicitur *Alteratio*. Ita *generatur* homo, pictura *efficitur*, atque hæc aut ille *alteratur*, cum ſenſibilis quædam qualitas, aut *idea* ſimplex, quæ non prius exſtitit, in alterutro de novo producitur; atque res, haud antea exiſtentes, hoc modo exiſtentiam nactæ, ſunt *Effectus*: eæ vero, e quarum operatione fluxerunt, *Cauſæ*. In quibus, atque aliis omnibus caſibus, obſervare licet, notionem *Cauſæ* & *Effectus*, ortum trahere ab *ideis*, per ſenſationem aut Reflexionem receptis; atque *relationem* hanc, utcunque latiſſime ſumptam, in iis ultimo terminari. Ad *Cauſæ* enim & *Effectus ideam* adipiſcendam, ſatis eſt, ut ſpectemus ſimplicem quandam *ideam*, aut ſubſtantiam, tanquam exiſtere incipientem, per alterius cujuſdam operationem, licet modum operationis iſtius haudquaquam teneamus.

§. III.

Relationes Temporis.

TEmpus etiam & *locus* fundamenta ſunt relationum latiſſime patentium, & omnia ad minimum entia finita in ſe complectuntur. Cum vero alio in loco antea oſtenderim, *ideas* haſce unde adipiſcamur, hic memorare ſatis erit, rerum denominationes utplurimum, e tempore receptas, Relationes tantum eſſe. Ita, cum dicit quiſpiam, *Elizabetam* Reginam Angliæ vixiſſe ſexaginta novem, & regnaſſe quadraginta quinque annos; voces hæ relationem tantum denotant durationis iſtius ad aliam aliquam, atque ſenſus illarum eſt, ævi ejus durationem æqualem fuiſſe ſexaginta novem, atque imperii ejus quadraginta quinque annuis ſolis converſionibus; idem de vocibus omnibus dicendum eſt, quæ reſpondent

dent quæſtioni *quam diu?* Deinde, Guilielmus Conqueſtor, ut dicitur, impetum fecit in *Angliam* circa annum 1070. Cujus ſenſus eſt; quod ſi rerum durationem a Nato Chriſto, ad hoc uſque tempus, pro ingenti temporis longitudine continua ſumamus, oſtendit, quantum impetus hic armorum in Angliam factus ab utroque extremo diſtet. Idem de vocibus omnibus temporis dicendum, reſpondentibus quæſtioni *quando?* puncti cujuſdam temporis diſtantiam oſtendunt, a periodo longioris durationis, a qua rerum inire menſuram incipimus, & ad quam proinde hæc diſtantia reſpectum habere a nobis concipitur.

§. IV. Præter has, aliæ ſunt voces temporis, quas pro *ideis* poſitivis ſubſtitui vulgo credimus, quæ tamen, quamprimum examinatæ fuerint, *relativæ* eſſe deprehendentur, hujuſmodi ſunt *juvenis*, *ſenex*, *&c.* quæ relationem includunt, quam res quædam habet, ad certam durationis longitudinem, cujus *idea* eſt in animo noſtro. Ita cum in cogitationibus noſtris ſtatuerimus, communis durationis hominis *ideam* eſſe annos ſeptuaginta; quando dicimus, eum *Juvenem* eſſe, ſubintelligimus, ejus ætatem eſſe adhuc non niſi parvam partem durationis, ad quam vulgo homines pervenire ſolent: & cum *Senem* eum dicimus, intelligimus, veniſſe jam prope ad terminum iſtum, quem homines haud communiter tranſire ſolent. Atque hoc modo comparamus tantum ætatem, aut durationem hujus aut illius hominis particularem, cum durationis iſtius idea, quam in animo habemus, tanquam ad id genus animalium pertinentem: quod manifeſtum erit, ſi nomina hæc rebus aliis applicemus. Homo enim viginti annos natus, *juvenis*, ſeptennis vero tenella valde ætate eſſe dicitur, *equum* vero, qui ad viceſimum; *canem*, qui ad ſeptimum annum pervenit, annoſum appellamus; quoniam utriuſque ætates ad diverſas comparamus *ideas* durationis, quas fixas tenemus in animo noſtro, tanquam ani-

animalium iſtorum, in communi naturæ curſu, proprias. Solem vero aut ſtellas, etſi multas hominum ætates ſuperaverint, haud ſeneſcere dicimus; quoniam neſcimus, quem terminum *DEUS* illi Entium generi ſtatuerit. Hic terminus peculiaris eſt rebus illis, quas, ſervato naturæ ordine, per interitum naturalem, certum intra tempus occidere animadvertimus; atque ita in animo noſtro quaſi exemplar quoddam habemus, cum qua varias durationis illarum partes comparare, & reſpectu iſtius, eas *tenella*, aut *grandi* eſſe ætate dicere poſſumus; idem de adamante aut ſmaragdo, quorum ignoramus periodum uſitatam, dicere nequimus.

§. V.

Loci & extenſionis Relationes.

Rerum etiam ad ſe invicem relationes in locis & diſtantiis ſuis facile obſervari poſſunt; ejuſmodi ſunt, quando aliquid dicitur eſſe in ſublimi, in inferiori parte, milliaris diſtantiæ e loco quodam abeſſe, in *Anglia*, & *Londini* &c. Sicut vero in *duratione*, ita in *extenſione* & *mole*, quædam ſunt *ideæ* relativæ, quas ſignamus per nomina, quæ poſitiva eſſe putantur: ita *magnum* & *parum*, ſunt vere *relationes*. Cum enim hic etiam, ex quotidiana obſervatione, in animis defixerimus noſtris *ideas* magnitudinis variarum rerum ſpecierum, per eas, quibus maxime aſſueti fuimus; has tanquam menſuras uſurpamus, ad aliarum rerum magnitudinem deſignandam. Ita *pomum* illud *magnum* vocamus, quod majus eſt iis, quæ vulgo contrectare ſolemus: *equum* vero *parvum*, qui minor eſt *idea* iſta quam animis effinximus tanquam equis vulgo congruentem: atque *Cambro-britanno* equus iſte magnus erit, quem *Belgicus* parvulum vocabit; quoniam illi ex ſuæ cujuſque pa-

patriæ diſpari equorum genere, diverſæ magnitudinis *ideas* hauſerunt, ad quas comparatione facta, *magni* & *parvi* denominationem ſumunt.

§. VI.

Termini abſoluti relationes ſæpe ſignificant.

ITa etiam *debile* & *robuſtum*, *relativæ* tantum ſunt *denominationes* potentiæ comparatæ ad *ideam*, quam tunc temporis habemus, majoris aut minoris roboris. Ita, cum loquimur de homine debili, eum intelligimus, qui non tantum habet roboris atque potentiæ ſe movendi, quantum homines vulgo, aut ii, qui ejuſdem ſunt ſtaturæ: id quod nihil aliud eſt, quam comparare robur ipſius cum Idea, quam habemus de ordinario hominum, aut de eorum robore, qui ſunt cum eo ejuſdem magnitudinis. Similiter cum creaturas omnes *infirmas* eſſe dicimus; *infirmitas* ibi terminus tantum relativus eſt, & denotat, quantum *Dei*, a creaturarum, potentia diſtet. Atque ita ingens vocum multitudo, in ſermone communi, ponuntur tantum pro relationibus (&, fortaſſe, maxima illarum pars) quæ primo intuitu, nihil tale ſignificare videntur: *v. g.* navis habet neceſſarias copias; *neceſſarias* & *copias* voces ſunt relativæ; quarum una ad navigationem ſuſceptam, altera ad uſus futuros, reſpectum habet. Quæ omnes relationes, quomodo connexæ ſint neceſſario cum ideis, & in iis terminentur, quæ a *Senſatione*, aut *Reflexione* oriuntur, clarius eſt, quam ut explicationis ullius indigeat.

CAP. XXVII.

De Identitate & diverſitate.

§. I.

In quonam identitas conſiſtat.

Altera occaſio, quam rerum comparandarum mens arripit, eſt ipſa rerum Exiſtentia, cum nimirum rem quampiam conſiderantes tanquam certo quodam tempore & loco exiſtentem, eam ipſam cum ſemet comparamus alio tempore exiſtente, atque hinc *Identitatis* & Diverſitatis *ideas* formamus. Cum videmus rem quampiam certo temporis durante articulo quodam in loco eſſe, certiſſime ſcimus (qualiſcunque ſit) eam rem iſtam ipſiſſimam eſſe, quam videmus, & non aliam; quæ eodem tempore alibi exiſtit, utcunque in aliis omnibus reſpectibus ſimillimæ ſint, nec a ſe invicem diſtingui facile poſſint. Atque in hoc conſiſtit *Identitas*, cum nimirum *ideæ*, quibus tribuitur, ne hilum quidem ab eo diſcrepant, quod erant in iſto temporis puncto, quo priorem illarum exiſtentiam contemplamur, & ad quod præſentem comparamus. Cum enim haud videamus unquam, nec poſſibile eſſe putemus, ut duæ res ejuſdem generis in eodem loco ſimul ſeu eodem tempore exiſtant, recte concludimus, omne id, quod per aliquod temporis ſpatium in loco quodam exiſtit, omnia ejuſdem generis alia illinc excludere, ipſumque ibi ſolum eſſe. Cum igitur interrogamus, *utrum quædam res eadem ſit, nec ne*, aliquid ſemper reſpicimus, quod definito quodam tempore certo in loco exiſtebat, quod certiſſimum eſt, in eo inſtanti,

idem

idem cum ſeipſo, & non aliud fuiſſe. Unde ſequitur, non poſſe rem unam duo exiſtendi initia, nec duas res unum initium habere, cum impoſſibile ſit, ut duæ res ejuſdem generis eodem tempore, in eodem ſimul loco, aut una eademque res in diverſis locis exiſtat. Quod igitur ratione temporis, & loci unum habuit intium, idem eſt, ſed quod initium habuit loco & tempore diverſo, haud res una eſt, verum ſunt res diverſæ. Quod talis relatio difficultatem habet, inde accidit, quod non ea, quæ par eſt, cura fuerit adhibita, ad rerum, quibus tribuitur, notiones diſtinctas adipiſcendas.

§. II.

Subſtantiarum Identitas.

TRium tantum generum ſubſtantiarum *ideas* habemus: 1. *DEI* 2. *Entium Intelligentium finitorum*. 3. *Corporum*.

Primo, Deus eſt abſque omni principio, æternus, immutabilis, & ubique: de illius itaque *Identitate*, nulla dubitatio fieri poteſt.

Secundo, Entia Intellectualia finita, cum loco & tempore determinato exiſtere cœperint, reſpectus ad tempus & locum (111) iſtum, ſingulorum ex ipſis, quamdiu exiſtent, *Identitatem* ſemper determinabit.

Tertio, Idem dicendum erit de unaquaque materiæ particula, quæ cum nullam ullius materiæ additionem aut ſubtractionem paſſa fuerit, eadem re-

 ma-

(111) Ut ſit *ex. gr.* in Corpore *Caji* ſpiritus circumſcriptus, & non *Mævii*.

manet (*). Etiamſi enim tria hæc *ſubſtantiarum* genera, prout dicuntur, haud ſe invicem ex eodem loco excludunt; non concipere tamen poſſumus, quin neceſſe ſit, ut ſingulæ excludant eas, quæ ſunt ejuſdem

(*) Poſtquam aſſeruit trium tantum generum ſubſtantiarum nos ideam habere, Dei nimirum, Entium intelligentium finitorum, & corporum: illud etiam addit, quod quamvis hæc trium ſubſtantiarum genera haud ſe invicem eodem loco excludunt; nihilo ſecius fieri nequit, quin concipiamus ſingulas excludere eas, quæ ſunt ejuſdem generis. Ex hoc ſequitur 1. ut non ſolum ſpiritus finiti & corpora in ſpatio conſtituantur, verum etiam ut Deus ipſe locum occupet in hoc ſpatio, aut ſaltem Deus ipſe ſit locus ſpirituum & corporum, & concipienda ſit ejuſdem immenſitas uti ſpatium infinitum, penetrabile, atque extenſum, in quo extent partes aliæ ab aliis diſtinctæ, licet infinitatis cauſa haud ſeparari queant (**); quod profecto non modo abſurdum, ſed etiam impium eſt. Sequitur 2. ut ſi finiti ſpiritus in loco, veluti corpora, exiſtunt, & locum eundem cum excluſione cujuslibet alterius ſpiritus occupant; extenſionis idea concipienda ſit tum ſpiritibus tum corporibus communis; locus enim, qui a ſpiritibus occupatur, ejuſdem naturæ eſt ac locus ille, quem corpora occupant. Cum autem nil poſſit occupare locum, quam quod loco commenſurabile eſt, neque aliud, quam extenſio, metiatur locum: conſequens eſt, ut ſi ſpiritus non ſecus, ac corpora ſunt loco commenſurabiles, extenſionis idea eodem modo conveniat tum ſpiritibus, tum corporibus; & ſpiritus non ſolum excludat loco, quem occupat, quemlibet ejuſdem generis ſpiritum, ſed ipſa etiam corpora: ac tandem ſpiritus non ſolum ſolidi ſint, ſeu penetrari nequeant ab aliis ſpi-

(**) Utrumque negatur. Neque ſpiritus finiti, neque Deus occupant partes loci, quoad extenſionem, ſed quoad vires, ergo juxta Lockium, Deus non conſtituitur in ſpatio, ut corpus, ſed ut actio Dei ubique conſtituta; ſic non ut ſpatium penetrabile, in quo ſint partes diſtinctæ, licet inſeparabiles, ſed ut eſſentia & ſubſtantia ubique diffuſa. *Carnali reſiſtendum eſt cogitationi* ait Auguſtinus (*V. Ep.* 57.), *& mens a ſenſibus corporeis avocanda, ne quaſi ſpatioſa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, ſicut fumus, aut aer, aut lux iſta diffunditur: omnis enim hujuſmodi magnitudo minor eſt in ſui parte quam in toto; ſed ita potius, ſicuti eſt magna ſapientia, etiam in homine, cujus eſt corpus parvum.*

dem generis : ſecus ſi fieret , notiones & nomina *Identitatis* & *Diverſitatis* fruſtranea forent , nec ſub-

 ſtan-

ſpiritibus: verum etiam a corporibus . Ratio hujuſce rei in eo ſita eſt , quod idea impenetrabilitatis neceſſario ab idea extenſionis originem habet , ut annuit Lockius l. 4. c. 7. §. 5 ; adeo ut corpus non excludat aliud corpus a loco , in quo exiſtit, niſi quia locum implet ſuæmet ſuperficiei æqualem , quod idem eſt ac ſi diceretur corpus excludere aliud corpus , quia extenſum eſt , neque enim idem locus a duobus extenſis occupari poteſt : unde ſi ex extenſione ſit , ut corpus occupare nequeat locum ab alio corpore occupatum , evidenter ſequitur , ut ſpiritus cum ſint ejuſdem extenſionis participes , non poſſint occupare locum , qui a corpore quolibet occupatur . His atque aliis hujuſmodi ratiocinationibus probatur ſpiritus eſſe extenſos atque impenetrabiles, non ſecus ac corpora (***) ; quæ ſententia quam præſeferat non dico veritatem , ſed ne veri ſimilitudinem quidem , lectoribus proponimus , ut de ea judicent (****) . *THIELE* .

(***) Supervacaneum eſt hoc ratiocinium . Dum ait Lockius *neceſſe ſit , ut ſingulæ excludant ea , quæ ſunt ejuſdem generis* , non intelligit ratione extenſionis , ſed ratione eſſentiæ . Si non potes comprehendere , quid ſit Deus , ait Auguſtinus (*V. tract.* 23. *in Johan.*), hoc ſaltem comprehende , quid non ſit . Pariter dicam , ſi non potes comprehendere qualitates poſitivas ſubſtantiæ, hoc ſaltem comprehende , qualitates negativæ quæ ſint . Si compenetrarentur duo , quæ ſunt ejuſdem *generis* , ut Lockius inquit , non orirentur duo , ſed unum , nam non eſſet modus , neque qualitas, quibus unum ab altero differret . *Similia* definivit Leibnitius (*V. Wolf. Ontol. p.* 169.) per ea quæ nequeunt diſtingui , niſi per compræſentiam . Et Baumeſterus ait , *ſi contigerit , ut ſimilia ſimul eandem habeant quantitatem* (ſupponit enim eaſdem habere qualitates) , *adeoque ſint æqualia , tum vero illa a ſe invicem diſtinguimus per reſpectum ad alia externa entia* , *LOCI* ex. gr. *ratione habita* . (*V. Inſt. metaph. de eo quod id. ac div. pag.* 75.) . Ergo luculenter vides quod fruſtra reprehenditur Lockius , ſi ait ſingulæ excludunt ea , quæ ſunt ejuſdem generis , ſi hac ſola ratione poſſumus conſiderare duo non unum eſſe . Quod attinet poſtea ad locum hic a *Thiele* citatum & a *Gerdil* pro eodem argumento expoſitum , vos luculenter videtis ejuſdem incongruitatem , quando ibidem meditamur ; ſufficit modo locum adnotatum legere , & inconſequentiam argumenti *Gerdil* invenietis profecto .

(****) Omnia ex *Gerdil* (*V. ib. pag.* 54.)

ſtantiæ, aut res aliæ à ſe invicem, prout nunc, diſtinguerentur. Exempli gratia, ſi corpora duo poſſent ſimul in eodem loco eſſe; tunc duæ iſtæ materiæ, ſive grandes ſint ſive minutæ; imo corpora omnia, unum idemque neceſſario forent. Eadem enim de ratione, qua duæ materiæ particulæ, corpora omnia poſſunt uno in loco eſſe: hoc ſi ſupponatur, diſtinctio *Identitatis* & *Diverſitatis*, unius & plurium, tolletur ſtatim, & abſurda reddetur. Quemadmodum hoc contradictionem implicat, ut duo aut plura unum tantum ſint, ita *Identitas* & *Diverſitas* relationes ſunt, modique comparandi recte fundati, atque intellectui valde utiles. Cumque aliæ res omnes, ſi a ſubſtantiis diſceſſerimus, *Modi* tantum ſint, ſive *Relationes* in ſubſtantiis ultimo terminatæ, *Identitas* & *Diverſitas* particularis cujuſque exiſtentiæ illarum etiam eodem modo determinabitur. Quod ad res vero attinet, quarum exiſtentia eſt in perpetua ſucceſſione, cujuſmodi ſunt actiones entium finitorum, *v. g. Motus* & *Cogitatio*, quæ ambo in continua ſucceſſione conſiſtunt, de illorum *diverſitate* controverſia nulla eſſe poteſt: Nam cum ſingula intereant eodem momento, quo incipiunt, nequeunt diverſis temporibus in locis diverſis exiſtere, ſicut entia permanentia temporibus diverſis in locis diſtantibus exiſtere poſſunt; motus itaque ſive cogitatio nulla, diverſis tanquam temporibus ſpectata, eadem eſſe poteſt, quoniam partes ſingulæ diverſa habent exiſtendi initia.

§. III.

§. III.

Quid ſit, ceu in Scholis vocatur, Principium Individuationis.

EX iis omnibus, quæ modo dicta ſunt, facile intelligi, quid *Individuum* conſtituat, illudque ab omnibus entibus aliis internoſci poteſt; id quod in Scholis dicitur *Principium Individuationis*, in quo recte indagando adeo deſudant, illud, inquam, *Principium*, quod in ipſa exiſtentia conſiſtat, quæ omne ens, quodcunque ſit, determinat ad locum & tempus particulare entibus duobus ejuſdem generis incommunicabile, ſatis evidens eſt. Hoc etiamſi in *Subſtantiis* ſive *Modis* ſimpliciſſimis facilius conceptu videatur; tamen diligentius examinatum, haud in maxime compoſitis difficilius erit, ſi, cuinam hoc Principium applicetur, caute animadvertamus; *v. g.* Supponamus *atomum*, *i. e.* corpus continuum ſub una immutabili ſuperficie, in loco & tempore determinato exiſtere: perſpicuum eſt, eam, quodam exiſtentiæ ſuæ momento ſpectatam, in eo momento, eamdem eſſe cum ſemetipſa. Cum enim, in eo momento id ſit, quod re ipſa eſt & non aliud quid, idem eſt ſemperque erit, quamdiu exiſtentia ejus manet: tamdiu enim idem erit, & non aliud quid. Similiter, ſi duæ, tres, quatuor, pluresve *atomi* ſimul in eadem *maſſa* jungantur, ſingulæ hæ atomi, per regulam præcedentem, idem erunt: & dum ſimul unitæ exiſtunt, *maſſa*, ex iiſdem conſtans atomis, eadem *maſſa* aut idem *corpus* neceſſario erit, utcunque partium collectarum ordo perturbetur. Si vero ex atomis hiſce una tollatur, aut nova addatur, haud amplius manet eadem *maſſa* aut idem *corpus*. Quod ad animantia attinet, illorum *Identitas* non ex *maſſa earundem numero particularum*, verum ab alia re dependet. In iis enim magnarum mate-

riæ partium mutatio haud *Identitatem* immutat. *Quercus* ab exigua planta ad proceram arborem aſſurgens, quando etiam amputatur, ſemper *quercus eadem* manet (112): atque *pullus* in *equum* adoleſcens, etſi mox pinguis fit, mox macer, *idem* tamen eſt *equus*, etſi in utroque caſu magna ſit partium mutatio; adeo ut in neutro illorum revera eadem ſit materiæ maſſa, etiamſi iſta *eadem* ſit *quercus*, hic *idem numero equus*. Ratio eſt, quod in caſibus allatis, ſi conſideramus ſimplicem materiæ maſſam aut corpus vivens, *Identitas* haud eidem rei applicetur.

§. IV.

Vegetabilium Identitas.

COnſiderandum itaque eſt, in quonam *quercus* a materiæ maſſa differat; hoc in eo poſitum eſſe videtur, quod poſterius ſit cohæſio tantummodo partium quarundam materiæ quovis modo unitarum, prius vero talis diſpoſitio illarum, qualis *quercus* partes conſtituit; atque ea partium iſtarum *organizatio*, quæ accommodata eſt ad recipiendum, & diſtribuendum nutrimentum, adeo ut apte poſſit formare, & continuare lignum, corticem, folia, &c. *quercus*, in quo vita vegetabilium conſiſtit. Cum igitur illud, quod conſtituit *unitatem* plantæ, ſit, habere ejuſmodi partium *organizationem* in uno corpore de una communi vita participante; *una numero planta* manet, quamdiu vitæ ejuſdem particeps eſt, etiamſi vita iſta communicetur cum novis materiæ particulis, plantæ jamjam viventi vitaliter unitis, in ſimili continua *organizatione*, & iſti plantarum generi con-

(112) Quantitas non pertinet ad notas rei characteriſticas.

conſentanea. Hæc enim organizatio cum uno quovis momento in una aliqua *materiæ* ſit collectione, in particulari iſto concreto ab omni alia organizatione diſtinguitur, atque *individua* iſta vita eſt, quæ conſtanter exiſtens a momento iſto per continuam circulationem in eadem continuitate partium inſenſibilium ſibi invicem ſuccedentium, eidem corpori viventi *plantæ* unitarum, *Identitatem* eam habet, quæ conſtituit *plantam* eandem, & efficit, ut omnes ejus partes ſint partes unius ejuſdemque numero plantæ, per totum illud tempus, quo illæ exiſtunt, in continua iſta *organizatione* unitæ, quæ nata & apta eſt ad communem iſtam vitam ad partes omnes ita unitas deferendam (113).

§. V.

Animalium identitas.

Haud in *brutis* res adeo diverſa eſt, quin cuivis hinc videre liceat, quidnam efficiat, ut *animal* ſit *unum*, atque *idem numero* maneat (114). Haud diſſimile illud eſt, quod in automatis aliiſque ma-

---

(113) Ut hic luculenter concipiatur quod ait Auctor, eſt attendendum ad quaſdas diſtinctiones. Veteres quantitatem diſpeſcebant in quantitatem *molis*, & quantitatem *virtutis*, illam dicebant *extenſionem ſubſtantiæ naturalis*, & prorie quantitas dicitur, hanc *perfectionem rei internam*. Si ergo *quercus* conſideratur habita ratione ad quantitatem virtutis, idem eſt profecto, nam ſemper ita eſt conſtitutum, ut poſſit *vegetare*, non ita ſi contemplatur ratione *molis*, ut luculenter patet.

(114) Dicitur idem *numero*, quod *idem ipſum* quoque vocatur, id quod bis exiſtere, adeoque numerari non poteſt, quodque ideo de ſe ipſo tantum dici poteſt. Solent nonnulli diſtinguere *eſſentialem identitatem* ab *identitate perſonali*, ut *ex. gr.* in rebus divinis, Pater & Filius ſunt eſſentialiter idem, ſed eſt *perſonaliter* idem Filius Dei, Dei verbum, & Chriſtus.

machinis artificialibus experimur, atque huic rei lucem afferet. Exempli grutia, quidnam eſt horarium automatum? palam eſt, illud nihil aliud eſſe præter concinnam organizationem, aut partium conſtructionem certo fini accommodatam, cujus, cum vis ſatis iſti addatur, obtinendi capax eſt. Si ſupponeremus, automatum hoc eſſe corpus unum continuum; cujus omnes partes organizatæ reſtaurentur, augeantur aut diminuantur, per conſtantem additionem, aut ſeparationem partium inſenſibilium, vitæ unius communis ope, quæ totam conſervaret machinam, aliquid haberemus corporis animalis ſimillimum, cum hac vero differentia, quod aptitudo organizationis, & motus, in quo vita conſiſtit, ſimul incipiat, cum motus ab interiori proveniat; in automatis vero motus, qui ſenſibiliter venit ab exteriori parte, ſæpe abeſt, cum organum recte diſpoſitum eſt, aptumque ad eum recipiendum.

§. VI.

Hominis identitas.

HOc etiam oſtendit, in quonam *hominis* ejuſdem *Identitas* conſiſtat; nimirum non niſi in participatione vitæ ejuſdem continuæ, per materiæ particulas, quæ ſunt in fluxu perpetuo; & hac in ſucceſſione eidem corpori organico *vitaliter* uniuntur. Qui *hominis Identitatem* ponet in aliquo alio, niſi, prout eſt in aliis animalibus, in corpore ſcilicet uno apte organizato in quodam momento, atque inde continuato ſub hac vitali organizatione in diverſis materiæ particulis ſucceſſive fluentibus, iſti unitis; difficile eſſe videbit, *embryonem*, virum adultum, phreneticum, & mentis compotem, eundem numero hominem efficere, per quandam ſuppoſitionem, quæ non poſſibile eſſe efficiet, ut *Schethus*, *Fiſchmahel*, *So-*

Socrates, *Pilatus*, *S. Auguſtinus*, *& Cæſar Borgia unus & idem* ſint homo. Si animæ enim *Identitas* ſola hominem *eundem* conſtituat, & in materiæ natura nihil obſtet, quo minus *idem numero ſpiritus* corporibus diverſis uniatur, poſſibile eſt, ut viri iſti, qui ſeculis, & moribus longiſſime erant disjuncti, idem homo fuerint (115): quæ loquendi formula oriatur neceſſe eſt ex incongruente valde uſu vocis *hominis*, *ideæ* applicatæ, ex qua corpus & forma externa excludantur: atque locutio iſta philoſophorum iſtorum notionibus magis repugnaret, qui *animarum Tranſmigrationem* eſſe contendunt, & ea ſunt in opinione, poſſe virorum animas, propter patrata ſcelera in belluarum corpora detrudi, tanquam in domicilia idonea, organaque brutis ipſorum affectibus explendi accommodata (116). Nemo tamen, puto, ſi certo ſcire poſſet, animam *Heliogabali* in uno ipſius porcorum incluſam extitiſſe, diceret, porcum iſtum *hominem* fuiſſe, aut *Heliogabalum*.

§. VII.

Identitas conſentanea eſt ideæ noſtræ quam de rebus habemus.

HAud ſubſtantiæ itaque unitas omne genus *Identitatis* comprehendit, eamve in omni caſu determinare poteſt. Verum ut rectum de ea conceptum, judiciumque formemus (*), conſiderandum eſt, quænam idea ſignetur per vocem iſtam, cui appli-

(115) Cave ne putes, Auctorem animam mundanam credidiſſe, tantum pro illuſtratione ſui argumenti hoc ſupponit.

(116) *V. adn* 74 *tom* 1

(*) Hoc ad explicationem finis primi §. capitis hujus inſervit. *COSTE*.

plicatur: nam eandem eſſe *Subſtantiam*, eundem *hominem*, atque eandem eſſe *perſonam*, ſunt tres diverſæ res, ſi *perſona*, *homo & ſubſtantia*, tria ſunt nomina diverſas tres *ideas* ſignantia; qualis enim *idea* eſt nominis iſtius propria, talem *Identitatem* eſſe, neceſſe eſt. Atque nos ſi animum ad hoc accuratius paulo attendiſſemus, magna ex parte fortaſſe occurſum fuiſſet iſti confuſioni, quæ hac in re haud parum difficultatis habet; præſertim circa *perſonalem Identitatem*, ad quam ideo paululum diſcutiendam memet accingam.

§. VIII.

Homo idem.

ANimal eſt vivens corpus organizatum; & conſequenter, *idem animal*, prout animadvertimus, eſt, eadem vita continua, diverſis cum materiæ particulis communicata, prout organico iſti corpori viventi ſucceſſive uniuntur: atque noſtram *hominis* notionem, quicquid de aliis definitionibus dictum fuerit, particularis tantum generis *animalis* eſſe, mihi extra dubium eſt. Perſuaſiſſimum enim illud mihi habeo, quod, ſi quis noſtrum animal videret, eadem, qua ille ipſe, forma & figura præditum, etiamſi per totum vitæ curriculum non majorem rationis uſum, quam *felis* aut *pſittacus* haberet, non tamen ſibi temperare poſſet, quin illud *hominem* appellaret: aut ſi *felem* vel *pſittacum* ratiocinantem audiret vel philoſophantem, quin illum appellaret atque crederet eſſe *pſittacum*, & diceret primum horum animalium, eſſe hebetem, ſtupidum & expertem rationis *hominem*; alterum vero, maxime acutum pollentemque ingenio *pſittacum*. Quod ab inſigni & luculento auctore ſcriptis traditum eſt, huic opinioni, poſſe nempe pſittacum ſermonem haud il-

lepi-

lepidum cum homine aliquandiu conferre, fidem quodammodo conciliat. Verba ejus (*) ita ſe habent:
„ Scire cupiebam ab ipſo *Principe Mauritio*, verumne
„ id eſſet, quod de *pſittaco* annoſo, quem ipſe loci
„ iſtius Præfectus in Braſilia habuit, dictum ſæpius
„ audivi. Sermo pervagatus erat ipſum multa inter-
„ rogaſſe, & ad interrogata aliorum haud ſecus re-
„ ſpondiſſe, quam ſi rationis particeps eſſet; quare
„ famulatui Principis incantatio viſa eſt, atque unus
„ e Sacellanis ejus, qui diu poſt in Belgio vixit,
„ Pſittacorum conſpectum ferre in poſterum non po-
„ tuit, quod eos omnes cum *cacodæmone* commer-
„ cium habere putavit. De his itaque certiorem fie-
„ ri cupienti dixit mihi Princeps, eorum quæ in
„ ore erant & ſermone hominum, quædam vera,
„ multa falſa eſſe. Roganti iterum, ut de veris
„ quædam referret, is, more ſuo, frigide & bre-
„ viter reſpondit, ſibi, poſtquam Braſiliam appuliſ-
„ ſet, multa de pſittaco iſto nunciata fuiſſe, quibus
„ fidem non habuit, quare, inquiebat, licet procul
„ eſſet, eum ad me afferri juſſi; quamprimum ca-
„ meram ingreſſus eſt, ubi ipſe eram cum *Belga-*
„ *rum* circumſtantium comitatu, quænam, ſtatim
„ inquiebat, eſt hæc alborum hominum turba? ro-
„ gabant, quem Principem eſſe putaret, reſpondit
„ exercitus Præfectus aliquis, tunc propius ad eum
„ admoto dixit (*a*), unde venis tu? reſpondit (*b*),
„ de Marinamo. Tum Princeps, cujus es tu (*c*)?
reſpondit, Luſitanici (*d*) cujuſdam; riſit Princeps
„ &

(*) *Commentar. rerum in orbe Chriſtiano geſtar. ab anno* 1672. *ad an.* 1679. *p.* 352.
(a) *D'ou venez vous?*
(b) *De Marinam.*
(c) *A qui eſtes vous?*
(d) *A un Portughez.*

„ & dixit; num tibi pullorum gallinaceorum cura (*e*) „ eſt commiſſa? imo reſpondit, atque probe (*f*) il-„ lud ſcio; tunc ter quaterve ſonum edidit, quem „ illi ſolent, qui pullos ad ſe vocant. Hic feſtivi „ hujus dialogi verba ipſiſſima ſermone Gallico, „ prout ea a Principe accepi, ſcriptis a me tradita „ ſunt. Interroganti mihi, quo ſermone Pſittacus „ uteretur, dixit, Braſiliano, tunc, ego, num tu „ Braſilianum calles? non, inquiebat, verum duo „ Interpretes aderant, unus Batavus, qui Braſilianice, „ atque Braſilianus alter, qui Belgice loquebatur: „ utrumque ego ſeorſim ab altero de iis percontabar, „ quæ dicta erant a Pſittaco, unus vero ne hilum „ diſcrepabat ab altero. Rem hanc, cujus novitatem „ haud injucundam fore putabam, non potui non „ ſcriptis tradere, credo equidem Principem, pietas „ cujus & probitas perſpecta erant omnibus, ea omnia „ vera putaſſe, quæ mihi retulit. Philoſophis natu-„ ralibus controverſiam ſuper his in utramque par-„ tem movere, atque aliis omnibus, quod volunt, „ credere, liberum eſt: utcunque illud ſit, haud „ mihi quidem ineptum videtur aliquando paululum „ de hiſtoriæ curſu digredi, ut gravis & negotioſæ „ ſcenæ tædium feſtiva narratiuncula levetur„ (117). Idcirco hiſtoriam hanc verbis ipſius auctoris tradidi, quod mihi videatur fidem iſti habere. Haud credibile enim eſt, eum operam ita navaturum Principis, quem ſanctum & integrum vocat; atque ipſi amiciſſimum, ſententiam ſcriptis mox tradendam circa rem elicere, quæ, niſi vera putaretur, ridicula foret & abſurdiſſima. Palam eſt, tam *Principem* quam auctorem noſtrum avem hanc garrulam *Pſit-*

(e) *Vous gardez les Poulles?*
(f) *Ouy moy & je ſcay bien faire.*
(117) *V. Meditat. noſtr. de Anima Brut. pag. 96. tom. 2.*

Pſittacum vocare. Atque ſi non hic ſolum, verum Pſittaci alii omnes ad hunc modum ſemper locuti eſſent, nemo non, arbitror, eos rationis eſſe participes agnoſceret, non propterea tamen *homines*, verum Pſittaci dicerentur. Cenſeo enim, haud cogitantis aut rationalis entis *ideam* ſolam eſſe, quæ, in plerorumque omnium opinione, hominis *ideam* efficiat; verum corporis etiam certa quadam figura præditi, cum hoc Ente conjuncti; atque ſi iſta ſit *hominis idea*; neceſſe eſt; ut corpus idem ex partibus ſucceſſivis formatum, quæ non ſimul ſe diſſipant perinde ac idem ſpiritus immaterialis, adhibeatur ad *eundem numero hominem* conſtituendum (118).

§. IX.

Perſonalis Identitas.

His præmiſſis, ut, in quonam conſiſtat *perſonalis Identitas*, inveſtigemus, conſiderandum eſt, quid vox *perſona* ſignificet. Ea, puto, eſt ens cogitans, intelligens, rationis & reflexionis capax, quodque poteſt ſeipſum conſiderare tanquam *ſeipſum*, tanquam idem ens cogitans in locis & temporibus diverſis; quod facit per conſciam iſtam ſuarum actionum notitiam, quæ nequit a cogitatione ſeparari, atque, ut mihi videtur, iſti plane eſſentialis eſt: impoſſibile enim eſt cuivis Enti percipere, niſi, ſe percipere, percipiat. Cum videmus, audimus, odoratu percipimus, guſtamus, tangimus, aut volumus quippiam, nos id agere comperimus. Quod ad præſentes noſtras Senſationes perceptioneſque, res ita ſemper ſe habet; atque per hoc unuſquiſque ſibimet illud eſt, quod *ipſum* appellat: in hoc enim

(118) *V. adn.* 113.

enim haud conſiderari ſolet, utrum idem *ipſemet* (*) in eadem, aut diverſis ſubſtantiis continuetur. Quandoquidem *conſcientia* cogitationem ſemper

(*) Sic vertit Coſte. „ On ne conſidere pas dans ce cas ſi „ le même (1) *ſoi*, eſt continué dans la même ſubſtance, ou „ dans diverſes ſubſtances. Car puiſque la (2) *conſcience* ac„ compagne toujours la penſée „ in quo adnotat idem traslator.

(1) Le *moi* Domini *Paſchalis* mihi ſuadet, vocabulo *ſoi*, *ſoimeme* me uti, ut exprimatur, unumquemque in ſeipſo habere *id quod ſeipſum* (*le meme*) eſt; vel melius, ſum ita neceſſitate coactus, ſecus neſcirem conceptum Auctoris diverſimode explicare. Periphraſis, quam ego poſſem in hac occaſione adhibere, ſermonem involvit & inintelligibilem reddit fortaſſe. COSTE.

(2) Verbum Anglicanum eſt *Conſciouſneſs*, quod latine ſonat CONSCIENTIAM, *ſi ſumatur pro actu hominis quo ſibi eſt conſcius*. Ex hoc fit, quod latini hoc vocabulum adhibent in ſenſu enodato, teſte Cicerone (*V. Epiſt. ad Famil lib. VI. Ep* 4.) *Conſcientia recta voluntatis maxima conſolatio eſt rerum incommodarum*. Gallice, ut mihi videtur, non habemus nos, quam vocabulum *ſentiment* & *conviction*, quod aliquo modo huic ideæ reſpondet. Sed in pluribus hujus capitis locis, nequeunt quam imperfecte Lockii conceptum exprimere, qui abſolute *perſonalem identitatem* pendere facit ab hominis actu, *quo ſibi* eſt *conſcius*. Ego concepi, omnia ratiocinia, quæ hac de re conficit Auctor, fruſtranea in integrum non eſſe, ſi ego meo utar conceptu certis potiſſimum locis, ut explicem, quod intelligit ille per *conſciouſneſs*, & quod ego evolvo. Poſtquam aliquantulum cogitavi, non inveni melius quam *conſcientiæ* vocabulo uti, ut ipſum actum exprimem. Hinc eſt quod cogitabam illud italice imprimere, ut lector ſemper ei hanc ideam accomodaret. Et cauſa melioris diſtinctionis hujus ſignificatus ab illo quam ordinario tribuunt, in mentem venit, ſcribere, etſi nonnullis inutile fortaſſe videtur, non ſic aliis *guſtu optimo* præditis, *conſcience* disjuncte, ut videtis. Dicetur ſtatim, en inuſitata libertas vocabulum a ſuo ordine mutare cauſa tribuendi ei ſignificationem, quam in noſtro idiomate nunquam habuit. Nihil reſponſi habeo. Libertatem, quam mihi ſumo, ego ipſe agnoſco, & eſſem fortaſſe primus ſcriptorem alterum reprehendere ſi hoc efficiſſet. At non recte arguerem; ſi pro Scriptore me ponerem, tandem invenirem, quod ille non poſſet alias optime progredi. Hoc ego cupio,

per comitatur, atque iſta efficit, ut unuſquiſque illud ſit, quod *ipſum* appellat, atque per illud ſemel ab aliis omnibus entibus cogitantibus diſtinguit, in hoc ſolo conſiſtit *Identitas perſonalis*, ſive, quod idem eſt, *Identitas entis rationalis*. Et quouſque hæc *conſcientia* retro extendi poteſt ad actionem quamvis aut cogitationem præteritam; eo uſque *perſonæ* iſtius identitas porrigitur; idem *ipſe* eſt, qui tunc fuit, atque actio iſta perficiebatur ab *ipſo*, qui numero idem eſt cum eo, qui jam retro eam reſpicit.

pio, conſiderent antequam dijudicent de eo, quod feci. Internoſco, quod in opere non puræ ratiocinationis, ut hoc eſt, id eſſet erroneum profecto. Sed in philoſophico ſermone; non ſolum poſſunt, verum debent adhiberi nova vocabula, quando nequeat aliter idea auctoris *præciſe* exprimi. Si nolit hac libertate in ejuſmodi circumſtantia uri, eſſet idem quam ſpiritum argumento tollere, vel deſtruere conceptum, quod mihi male ſonat. Intelligo hoc, quando adeſt arctior neceſſitas, ut eſt in hoc caſu, de quo me ſane non decipio. Demum video, me poſſe adhibere vocabulum *conſcience* in ſenſu, in quo Lockius illud hoc capite adhibet, poſtquam *Malebranche* melior ex noſtris ſcriptoribus in hoc eodem ſenſu utitur in pluribus locis *de la recherche de la verité*. Poſtquam adnotavit Cap. VII. lib. III. oportere diſtinguere quatuor modos internoſcendi res, inquit la *troiſieme eſt de le connoitre par conſcience ou par ſentiment interieur*. *Sentiment interieur & conſcience* ſunt itaque juxta eum ſynonyma. *On connoit par conſcience* inferius inquit, *toutes les choſes qui ne ſont point diſtinguées de ſoi . . . Nous ne connoiſſons point notre ame*, ait quoque ille, *par ſon idée; nous ne la connoiſſons que par coſcience . . . La coſcience que novus avons de nous mêmes, ne nous montre que la moindre partie de notre être*. En quod ſufficit, ut videatis in quo ſenſu ſumſi vocabulum *conſcience*, & uſum confirmatum internoſcatis. *COSTE*.

§. X.

Conſcia notitia perſonalem identitatem efficit.

QUæritur ulterius, utrum hæc omnino & plane eadem ſit ſubſtantia. De hoc pauciſſimi dubitandum eſſe putarent, ſi hæ perceptiones, una cum illarum *conſcientia* menti præſto ſemper manerent, quo pacto idem *ens cogitans conſcia ratione* ſemper præſens foret, atque, ut putaretur, cum ſemetipſo manifeſte idem. Nodus vero, quem expedire difficile videtur, hic eſt, quod, cum hæc *conſcientia*, oblivione ſemper interpelletur, & nullum vitæ noſtræ ſit momentum, quo præteritarum omnium actionum noſtrarum ſeriem univerſam uno intuitu contemplemur; cum ii, qui plurimum memoriæ habent, ſuarum actionum partis unius conſpectum amittant, dum alteram intuentur; cumque nos interdum, idque per maximam noſtræ ætatis partem, non tantum non retro in illud reſpiciamus, quod *in nobis* præteritum eſt, ut potius circa præſentes occupemur cogitationes, & denique arctiori in ſomno, aut plane non cogitemus, aut ſaltem non cum conſcia iſta animadverſione, quæ ad noſtras vigilantium cogitationes attendit: in omnibus hiſce caſibus, inquam, cum conſcia noſtri notitia interrumpatur, noſque iſtius, quod *in nobis* præteritum eſt, conſpectum amiſerimus, hinc dubitationes oriuntur, utrum nos idem *ens cogitans*, *i. e.* eadem ſubſtantia, ſemper ſimus, nec ne. Hoc ſive rationi conſentaneum, ſive contra eam ſit, ad *identitatem perſonalem* nihil attinet. Quæſtio enim eſt, quid *perſonam eandem* conſtituat, non vero, utrum eadem numero ſubſtantia ſemper in eadem *perſona* cogitet, quod in hoc caſu nihil omnino refert. Diverſæ enim ſubſtantiæ per eandem *conſcientiam*, cujus ſunt participes, non minus in unam perſonam, quam corpora diverſa,

per

per vitam eandem, uniuntur in unum animal, cujus *Identitas*, in ſubſtantiarum immutatione iſta, per unitatem vitæ unius continuæ, ſervatur. Cum enim eadem *conſcientia* ſit, quæ efficit, ut homo ipſimet ſit *ipſe*, *Identitas perſonalis* ex ea ſola pendet, ſive uni ſoli ſubſtantiæ individuæ annexa ſit, ſive in plurium ſubſtantiarum ſibi invicem ſuccedentium ſerie continuari poſſit. Quatenus enim Ens quoddam intellectuale præteritæ cujuſdam actionis *ideam* eadem *conſcientia* repetere in ſe poteſt, quam primum habuit, aut quam præſentis cujuſdam actionis nunc habet; eatenus *eadem* numerica eſt *perſona*. Ex conſcia enim notitia iſta eſt, quàm præſentium habet cogitationum & actionum, quod hoc momento *idem* ſit *ſibi ipſi*; atque eadem de cauſa *idem* ſemper manſurum eſt, quatenus eadem *conſcientia* ad actiones præteritas & futuras extendi poteſt; nec per temporis intervallum, aut ſubſtantiæ alterationem, duæ magis *perſonæ* forent, quam homo fieret homines duo, qui diverſo ab eo, quo heri indutus erat, hodie, longo aut brevi interveniente ſomno, veſtitu uteretur: cum actiones iſtæ temporibus disjunctæ, a quacunque etiam producantur ſubſtantia, per eandem *conſcientiam* in eadem *perſona* uniantur.

§. XI.

Perſonalis Identitas manet, mutatis ſubſtantiis.

HOc ita ſe habere, id aliquo modo oſtendit, quod in corpore noſtro experimur, cujus particulæ omnes, dum Enti huic cogitanti de ſemet intus conſcio, vitaliter uniuntur, adeo ut perſentiamus & afficiamur, quando tanguntur, & quo afficiantur commodi aut incommodi, conſcii ſimus, partes ſunt noſtri, *i. e.* cogitantis & ſui ipſius conſcii. Ita corporis ſui membra ſunt unicuique *ſui ipſius* partes,

malis illorum indolet & magnopere commovetur. Amputetur manus, atque ita ſeparetur a conſcia iſta cognitione, quam de calore, frigore, & aliis iſtius manus affectibus habuimus; in eo caſu haud amplius erit pars iſtius, quod *nos ipſi* dicitur, quam potius longiſſime diſtans materiæ quædam particula. Hoc modo videmus *ſubſtantiam*, in quo *perſonalis ipſe* nunc conſiſtit, mox immutari poſſe, non mutata *Identitate* perſonali: cum de perſona ejuſdem continuatione nulla oriatur controverſia, etiamſi membra, quæ modo pars erant iſtius, nunc amputata ſint (119).

§. XII.

Quæſtio vero eſt, utrum, ſi Subſtantia eadem, quæ cogitat, immutetur, poſſit eadem eſſe perſona, aut, ſi hæc Subſtantia eadem maneat, perſonæ diverſæ eſſe poſſit.

Utrum maneat, mutatis ſubſtantiis cogitantibus.

AD hoc reſpondeo primo, Hanc quæſtionem ad eos nullo modo ſpectare poſſe, qui cogitationem ponunt in pure materiali, *animali conſtitutione*, ſpiritus ſeu ſubſtantiæ cujuſdam immaterialis prorſus experti. Nam ſive id, quod ſupponunt, verum ſit, nec ne, perſpicuum eſt, eos opinari, perſonalem identitatem contineri in aliquo alio (120), præter ſubſtantiæ identitatem; prout animalis identitas in vitæ, non ſubſtantiæ identitate conſervatur. Qui igitur collocant cogitationem in immateriali tantum ſubſtantia, priuſquam cum iis hominibus diſputent, oſten-

(119) Standum eſt ad diſtinctionem alibi (113) allatam.

(120) In diſpoſitione ſcilicet, ordine, ſymmetria, reſpondentia, ac vi reciproca partium.

oſtendant oportet, cur in ſubſtantiarum immaterialium mutatione, aut ſpirituum particularium varietate *perſonalis Identitas* haud æque conſervari poſſit, ac *animalis Identitas* in materialium ſubſtantiarum mutatione, aut varietate corporum particularium conſervatur (121): niſi dicent, unum Spiritum immaterialem, eandem in brutis vitam efficere, prout unus Spiritus immaterialis, eandem in hominibus perſonam conſtituit, quod Carteſiani ſaltem non admittent, verentes, ne brutis etiam cogitationem tribuere videantur.

§. XIII. Deinde, quod ad primam partem quæſtionis attinet, *utrum, ſi eadem ſubſtantia cogitans* (ſuppoſito, quod immateriales ſubſtantiæ ſolæ cogitent) *immutetur, eadem perſona eſſe poſſit*: Reſpondeo, dubitationem iſtam ab iis tantum tolli poſſe, qui norunt, quod genus ſubſtantiarum ſint, quæ cogitant; utrumve actionum ſuarum præteritarum *conſcientia* ab una ſubſtantia cogitandi ad aliam transferri poſſit. Fateor, illud fore impoſſibile, ſi hæc *conſcientia* eſſet una eademque individua actio (122):

 cum

(121) Nimirum ex eo quia mutata organizatione non eodem modo vires, actiones, ac paſſiones conſpirant ejuſmodi inter ſe, ut ad unum omnia concurrentia hoc non illud, ratione organizationis, & virium, efforment. Nec oportet conſiderare, ſpiritum brutis ineſſe, at dicatur, in mutatione ſubſtantiarum materialium, vel corporum particularium varietate identitatem animalis conſervari, nam etſi novæ ſubrepunt partes, attamen eundem ſitum, ac conſtitutionem ſuſcipiunt, quam primæ habuere; per conſequens ſecundæ ſunt primis ita apprime ſimiles, ut confundantur inter ſe, & ut eædem concipiantur (138 (*) *pag.* 178. *tom.* 1.). Non ita ſpiritus, cui idem ſemper conceptus conſideratur. Verum juxta a nobis expoſita (23. *tom.* 2., 108. 111. *tom.* 1.) poſſet oriri hic quæſtio, an ſpiritus, corpore mutato, idem eſſet, nam conceptus tum mutari debent. Si alicujus momenti vobis quæſtio hæc videtur, vos ipſi de ea cogitate pro ejuſdem ſolutione.

(122) En quæſtio hic ſupra indigitata.

cum vero præſens tantum ſit repræſentatio actionis præteritæ, demonſtrandum erit, cur poſſibile non ſit, ut, quod nunquam realiter extitit, menti, quaſi revera extiterit, repræſentetur. Quouſque igitur conſcia præteritarum actionum notitia ſingulari cuidam Agenti ita annexa ſit, ut, eam alteri ineſſe, fieri nequeat, nobis ſtatuere difficillimum erit, donec noverimus quodnam ſit genus actionis, quæ nequeat perfici ſine reflexo perceptionis actu eam comitante, & quomodo perficiatur a *ſubſtantiis cogitantibus*, quæ nequeunt cogitare, quin iſtius conſciæ ſint. Cum vero, quod *eandem conſcientiam* vocamus, non idem ſit actus individuus; cur uni ſubſtantiæ intelligenti non illud repræſentetur tanquam ab ipſa factum, quod neutiquam fecit, verum ab alio forſitan Agente perfectum erat, cur, inquam, non ſit poſſibile, ut talis repræſentatio realitatis eſſet & veritatis expers, prout plurimæ ex imaginibus ſunt, quæ nobis ſomniantibus exhibentur, quas tamen inter dormiendum veras eſſe imaginamur, ex rerum natura concludere difficillimum erit. Cur vero res ita ſe nunquam habeat, fas erit ut nos, uſque dum ſubſtantiarum cogitantium naturas clarius intueamur, non aliam reddamus rationem, præter Dei bonitatem, qui, quatenus cujuſvis ſenſitivorum ejus animalium felicitas aut miſeria ab ea re pendet, non ex fatali illorum errore ab uno ad aliud conſciam iſtam notitiam, quam de bonis & malis ſuis actionibus habent, transferet, quæ præmia aut ſupplicia poſt ſe trahit. Quid argumenti hoc contra illos valeat, qui cogitationem in collectione Spirituum animalium perpetuo fluentium ponendam autumant, aliis conſiderandum relinquo. Ut vero ad illud redeamus, quod in quæſtionem vocatur, fatendum eſt quod, ſi eadem *conſcientia* (quæ, ut dictum eſt, res penitus diverſa eſt ab eadem numerica figura aut motu in corpore) ab una cogitante ſubſtantia ad aliam

aliam transferri poteſt, poſſibile ſit, ut duæ ſubſtantiæ cogitantes unicam tantummodo perſonam efficiant. Conſervata enim eadem *conſcientia*, ſive in eadem aut diverſis ſubſtantiis, *perſonalis* etiam *Identitas* conſervatur (123).

§. XIV. Quod ad ſecundam partem quæſtionis attinet, *utrum, eadem immateriali ſubſtantia remanente, duæ poſſint eſſe perſonæ diſtinctæ*; quæſtio hæc mihi videtur in hac ſundari, utrum idem ens immateriale, cum ſuarum ante peractarum actionum ſit conſcium, præteritæ ſuæ exiſtentiæ omni conſcientia nudari ita penituſque orbari poſſit, ut impoſſibile ſit, amiſſam in poſterum unquam recuperare: atque ita, quaſi novum computum a recenti periodo incipiens, conſciam haberet notitiam, quæ ultra novum hunc ſtatum pertingere nequeat (124). Illi omnes, qui animas præexiſtere contendunt, in hac plane ſunt opinione, cum inficientur, ullam in anima remanere conſciam rerum iſtarum notitiam, quas in

(123) Ponamus quod anima nihil videat, nihil percipiat, nihil internoſcat, nihil recordetur quam de eis, quæ in ſenſorio communi reponantur & ejus acumini obverſentur, tum conſcientia unius cogitantis ſubſtantiæ in corpore *Mævii ex gr.* extantis, eadem eſſet, ac ſi nova ſubſtantia cogitans, prima ablata, ſubintret ad ejuſdem *Mævii* corpus informandum, & fortaſſe hæc ultima in cogitationibus a prima non differret; tum quamquam abſolute eadem ſubſtantia dici nequeat, attamen omni charactere diverſitatis deficiente pro eadem ſumi debet, & pro eadem fortaſſe haberetur. Si credatis, huic quid recte opponi poſſe, id pro hypotheſi vel incongruente ſuppoſitione teneatis.

(124) Eſt quod modo diximus: tantum ordine mutato, nam ſi extet eadem ſubſtantia cogitans, ſed non eadem ſigna, ut evenit corporis mutatione, non eadem ſurgit perceptio; tantum eſſet hic diſceptandum, an poſſit ejuſmodi ſubſtantia quendam ſui ſenſum internum habere *ex. gr ſum*, & ſeipſum internoſcat, ſi hoc conceditur, etſi omnes perceptiones non ſint eædem, quas in altero corpore habebat, attamen internoſcit illud *ſum*, quod prius de ſe concepit & *identitatem* parit.

in præexiſtente ſtatu iſto fecit, aut ſeorſim prorſus a corpore, aut dum aliud quoddam corpus informavit; & niſi hoc faterentur, palam eſt, eos contra illud ituros, quod ipſa unumquemque ſua experientia docet. Quare cum *perſonalis Identitas* haud ulterius, quam ſui ipſius interna conſcientia, pertingat, neceſſe eſt, ut Spiritus præexiſtens, qui non tot ſecula in nullius plane rei *ſenſu* tranſegit, perſonas diverſas efficiat. Si quis Chriſtianus, *Platonicus* eſſet, aut *Pythagoreus*, qui, propterea quod Deus opus omne creationis ſeptimo die perfecerit, tempore ab illo animam ſuam extitiſſe crederet, atque interea temporis plura pervaſiſſe corpora; ſicut etiam in quendam incidi, qui perſuaſiſſimus erat, ſuam ipſius animam *Socratis* olim fuiſſe (quanta vero cum ratione non hic diſputabo: hoc certus ſcio, ipſum in gradu & loco, quem tenuit, qui non contemnendus erat, ratione & prudentia pollere habitum fuiſſe, atque ejus opera in lucem edita oſtendunt, ipſum non fuiſſe ingenii & literarum expertem) num quis diceret, eum, qui nullarum *Socratis* actionum aut cogitationum conſcius ſit, potuiſſe eandem eſſe *perſonam* cum *Socrate*? introſpiciat aliquis in mentem ſuam, concludatque, ſe intus habere Spiritum immaterialem, qui illud ipſum eſt, quod cogitat, quod in conſtanti corporis mutatione efficit, ut idem maneat; quodque illud eſt, quod *ſeipſum* vocat: ſupponat etiam, eandem eſſe animam, quæ ante *Trojam* captam in *Neſtore* erat aut *Therſite*, (quæ ſuppoſitio non eſt abſurda, quoniam animæ, quantum naturæ illarum nobis ſunt notæ, ad materiam quamvis ſunt indifferentes) quod perinde eſſe potuit, ac nunc eſt alterius cujuſdam anima: numquid vero ille, qui nullarum *Neſtoris* aut *Therſitis* actionum ſe conſcium reperit, eundem cum alterutro illorum ſe concipere poteſt? numquid eas magis ſuas reputare poteſt, quam alterius cujuſdam actiones, qui priſcis unquam

unquam temporibus extitit? quapropter cum hæc conſcientia ad nullas utriuſvis illorum actiones pertineat, haud magis eadem eſt perſona cum alterutro illorum, quam ſi anima aut Spiritus iſte immaterialis, quo nunc informatur, tunc fuiſſet creatus, aut exiſtere cœpiſſet, cum corporis ſui forma eſſe cœpit, etiamſi veriſſimum eſſet, eundem numero Spiritum, qui *Neſtoris* olim aut *Therſitis*, nunc ſuum corpus informare. Hoc enim non magis eum eandem cum Neſtore perſonam efficeret, quam ſi materiæ quædam particulæ, quæ ſemel pars erant *Neſtoris*, hujus nunc pars fierent; eadem enim ſubſtantia immaterialis ſine eadem *conſcientia*, cuidam corpori unita non magis perſonam eandem efficit, quam eædem materiæ particulæ corpori alicui ſine *conſcientia* unitæ perſonam efficiunt eandem. Comperto vero ſemel, ſe Neſtoris actionum quarundam conſcium eſſe, tunc ſe eandem cum Neſtore perſonam eſſe comperit.

§. XV. Hoc modo facile concipimus in Reſurrectione eandem remanere perſonam, cum, mutatis forſan plane iis, quibus hic erat, partibus aut ſtructura corporis, eadem in anima, illud incolente, conſcientia remanet (125). Sola autem anima, corpore mutato, vix cuipiam, niſi iis, qui animam *hominem* eſſe contendunt, ſatis eſſe videbitur ad eundem numero *hominem* conſtituendum. Si anima enim

(125) Immo contrarium conjectare licet, ut Anima ad ſuum corpus repoſita parrata vitæ ſuæ reſpiciat, & internoſcat enodatius ſuas operationes contra vel juxta leges confectas; quapropter de eis doleat, vel gaudeat. Et credamus contra Lockium corpus apprime primo ſimile debere renovari, ſecus quædam deficeret perceprio, de qua non poſſet ſe inculpare. Hoc ſupponitur quando negatur, Deum velle. & poſſe abſoluta ſua potentia munus ipſius noſtri corporis abſolvi, quod fortaſſe non repugnat.

enim Principis, præteritæ Principis iſtius vitæ conſcientiam ſecum ferens, ſutoris corpus, ab anima ſua derelictum, intraret ſtatim informaretque, nemo non videt, ipſum eandem fore Perſonam cum Principe, a qua Principis tantum actionum ratio repoſceretur: *hominem* vero *eundem* eſſe, quis diceret? hominis compoſitionem corpus ingreditur; atque, opinor, hominem in hoc caſu, omnium judicio, indigitaret, nec anima, curis utcumque & cogitationibus occupata Principe dignis, alium efficeret hominem, verum omnibus, præterquam ſibimet ipſi (*), idem Sutor eſſe videretur (126). Scio in communi loquendi formula, perſonam eandem, & hominem eundem, unum idemque ſonare. Atque nemini non liberum ſemper erit loqui, prout ipſe voluerit, & ejuſmodi ſonos articulatos ejuſmodi *ideas* applicare, ſicut ipſe, ad propoſitum ſuum facere, viderit, eoſque pro lubitu ſuo ſæpe immutare. Cum vero interrogamus, quidnam *eundem Spiritum*, *Hominem* aut *Perſonam eandem* efficiat, æquum eſt, ut in cogitationibus noſtris, *Spiritus*, *Hominis* aut *Perſonas ideas* defigamus, cumque ſemel ſtatuerimus, quid per illas ſignificari velimus, haud difficile erit in hiſce, aut ſimilibus, ſtatuere, quando *idem* ſit, quando non.

§. XVI.

(*) Si tantum *ipſe* excipitur, & convenitur ipſum ſcire *eundem ſutorem* non eſſe, videtur, allatum exemplum potius obſcurare, quam enodare argumentum. In effectu enim. & juxta ipſum Lockium, hic homo *idem ſutor* non eſt, ergo diverſus eſt homo *COSTE*.

(126) Eſſet idem habita ratione ad conceptus, non ad ſubſtantias. Ergo *relative* non *abſolute*.

§. XVI.

Conſcientia perſonam efficit eandem.

ETiamſi vero ſubſtantia eadem immaterialis, aut anima ſola, quocumque in loco, aut ſtatu ſit, non hominem conſtituit; perſpicuum tamen eſt, *conſcientiam*, quouſque extendi poſſit, licet etiam ad multa retro ſecula id fieret, exiſtentias, & actiones temporum intervallo longiſſime disjunctas, in eandem perſonam, non minus quam exiſtentiam & actiones ſuperioris proxime momenti unire: adeo ut quicumque præſentium & præteritarum actionum internam habet *conſcientiam*, eadem ſit perſona, cujus hæ actiones ſunt propriæ (127). Si *conſcius* mihi æque forem, me diluvium atque arcam *Noachi* vidiſſe, ac quod hieme ſuperiori *Thameſin* viderim extra ripas ſuas diffluentem, aut quod nunc ſcribam, haud magis dubius eſſem, utrum *ego*, qui nunc ſcribo, qui Thameſis inundationem hieme ſuperiori, atque diluvium univerſale vidi, idem *ipſe* ſim, in quacunque ſubſtantia illud *ipſe* collocetur, quam utrum *ego*, qui hoc ſcribo, idem *ipſe* ſim inter ſcribendum (ſive ex eadem ſubſtantia, materiali aut immateriali totus conſiſtam, nec ne) qui fuerim heri. Quod ad *mei* enim *Identitatem* attinet, nihil refert, utrum ex eadem, aut aliis ſubſtantiis, hoc præſens *ipſe* conſtetur; non minus enim obſtrictus teneor actionis cujuſdam lapſis jam mille annis ante patra-

(127) Ad quæſtionem redeamus. An anima *Mævii* informando corpus *Caii* retineat perceptiones, quas in corpore *Mævii* fuit experta. Nos negative reſpondemus propter rationes allatas. (108. 111. *tom* 1, 23. *tom.* 2.) Iterum expoſci poteſt, an quid ſibi remaneat ſuæ præteritæ exiſtentiæ, ut dicat *ſui quod ſum*, hoc eſt, *aliquid*, quod ad quemdam internum ſenſum reducitur. Ad hoc affirmative reſpondere poſſe, [illegible]

tratæ, quamque præſens *conſcientia* (*) mei propriam eſſe oſtendit, quam rationem iſtius reddere, quod ultimo momento patravi.

§. XVII.

Ipſe, *ſeu Identitas ex conſcientia pendet.*

TO'. *Ipſe* eſt iſta res cogitans, intus ſuarum actionum ſibi conſcia (quæ ſit ſubſtantia, e ſpirituali, aut materiali, ſimplici, aut compoſita conflata, nihil refert) quæ ſentit, ſeu conſcia eſt voluptatis aut doloris, & capax felicitatis aut miſeriæ, atque ita, in quantum conſcia eſt, in tantum de ſua ipſius fortuna ſollicita eſt. Ita unuſquiſque quotidie experitur, digitum ſuum minimum, ſub *conſcia* iſta *notitia* quamdiu continetur, non minus *ſui ipſius* partem eſſe, quam quod maxime ita ſe habet. Si, digito hoc auriculari divulſo, *conſcia* hæc *notitia*, derelicto corpore, eum comitaretur, manifeſtum eſt, digitum in eo caſu *perſonam* fore, *eandem*, inquam, *perſonam*; & tunc, quod *ipſe* dicitur, nullum cum reliquo corpore commercium haberet. Ut in hoc caſu, cum pars una diſtrahitur ab altera, *conſcientia* eſt, quæ ſubſtantiam comitata *perſonam* eandem efficit, & per quam *ipſe* conſtituitur, qui nequit ab illa ſeparari: ita hoc etiam fit ſubſtantiarum reſpectu, longo temporis intervallo diſtantium; illud, cum quo *conſcientia præſentis rei cogitantis* ſemet conjungere poteſt, *perſonam* efficit eandem, atque idem *ipſum* eſt cum eo, & nullo alio; atque ita, quouſque iſta *conſcientia* extenditur; non autem ulterius, rei iſtius actio-

(*) *Self-conſciouſneſs*. Vocabulum in anglicano Idiomate expreſſione præditum, non ita gallice habetur.. Ego hic repono pro eis qui anglicana lingua gaudent. *COSTE*.

actiones omnes in ſuarum numero habet, quemadmodum unicuique, animum ad rem iſtam attendenti, perſpicuum erit.

§. XVIII.

Objectum præmii & ſupplicii eſt.

IN *perſonali* hac *Identitate* jus omne præmii & ſupplicii, beatitudinis & miſeriæ fundatur, hæc enim ea ſunt, quæ unuſquiſque, tanquam ad ſe pertinentia, curat, quid alteri futurum ſit ſubſtantiæ, quæ iſti *conſcientiæ* haud conjuncta eſt, de eo neutiquam eſt ſollicitus. Ut enim in exemplo patet modo allato, ſi digitum auricularem amputatum conſcientia comitaretur, iſte idem foret *ipſe*, quem heri corporis totius, tanquam *ſui* partem conſtituentis, cura tetigit, cujus actiones heri commiſſas, non poteſt non æque ſibi aſſignare, ac eas, quas in præſentia perficit. Si tamen idem corpus adhuc in vita maneret, & ſtatim, abſciſſo digito, ſuam ipſius particularem rerum conſcientiam haberet, cujus auricularis iſte digitus ignarus foret, haudquaquam iſtum, tanquam ſui partem reſpiceret, nec actionum ejus ullas pro ſuis vendicaret.

§. XIX. Hinc videre eſt, in quonam *Identitas perſonalis* conſiſtat, non in ſubſtantiarum, verum, ut dixi, in *conſcientiæ* identitate, in qua ſi *Socrates* & *Magnus*, qui nunc rerum potitur, *Mogol*, conveniunt, eadem ſunt perſona: ſi idem *Socrates* vigilans & dormiens non ejuſdem *conſcientiæ* ſit particeps, *Socrates* vigilans & dormiens non eadem eſt perſona. Nec magis æquum foret *Socratem* vigilantem ad ſupplicium propter illud rapere, quod *Socrates* dormiens cogitavit, & cujus idem vigilans haudquaquam conſcius erat, quam ab uno gemellorum pœnas flagitii a fratre, inſcio illo, patrati ideo repetere, quod

quod figura corporis & forma exteriori ſimiles inter ſe adeo ſint, ut alter ab altero diſcerni nequeat, quod in gemellis accidiſſe novimus.

§. XX. Dicet fortaſſe aliquis: quid ſi ego partium quarundam vitæ meæ memoriam penitus ita amittam, ut mihi impoſſibile ſit in memoriam, & conſcientiam illarum in poſterum unquam redire; annon tamen is ego ſum, qui fecit, qui cogitavit iſta, quorum ſemel conſcius fui, etiamſi mihi nunc exciderunt? reſpondeo, hic notandum eſſe, quidnam illud ſit, cui vox *Ego* applicatur; atque certiſſimum eſt, eam tantum homini hic tribui. Cumque idem homo eadem perſona eſſe ſupponatur, facile concipimus, per vocem *Ego* eandem etiam perſonam denotari (128). At ſi fieri poteſt, ut idem homo temporibus diverſis diverſam plane & incommunicabilem conſcientiam habeat, extra dubium eſt, eundem hominem temporibus diverſis diverſas conſtituere perſonas; atque videmus, generis humani hunc eſſe ſenſum, quotieſcunque opiniones ſuas more maxime ſolemni propalam edunt; leges enim humanæ haud a viro *phrenetico* iſtius, quod *ſobrius*, nec a *ſobrio*, quod *phreneticus* perpetravit, pœnas exigunt, atque ita eos duas plane perſonas efficiunt; atque hoc ex more noſtro loquendi in Anglia explicatius paulo redditur, cum dicimus, hunc aut illum *non eſſe ſeipſum*, aut *eſſe extra ſeipſum*: in quibus phraſibus indicatur, eos omnes, qui nunc eas uſurpant, aut primo ſaltem uſurparunt, cenſuiſſe, *ipſum* eſſe mutatum, eandem numero perſonam homine in iſto non amplius fuiſſe (129).

§. XXI.

(128) Ponamus in homine, ſignacula in ſenſorio communi repoſita omnino perturbari, tum idem non eſſet, ut paulo ante diximus ratione conceptuum, non ratione ſubſtantiarum (121).

(129) Actiones fiunt in conſequentia voluntatis, voluntas pendet a perceptionibus inter ſe relatis, & momentis comparatis

§. XXI. (*)

Diſcrimen inter Identitatem hominis & perſonæ.

COncipere vero difficile eſt, quomodo *Socrates* idem numero homo duæ eſſet perſonæ. Quo melius hoc animo comprehendamus, conſiderandum eſt, quid per *Socratem*, aut eundem numero *hominem* intelligatur. Tria hic intelligi poſſunt:

Primo, aut neceſſe eſt, ut ſit eadem individua, immaterialis, ſubſtantia cogitans: in ſumma, eadem anima numerica, & nihil aliud.

Secundo, Aut idem Animal, ſine ullo reſpectu ad animam immaterialem.

Tertio, Aut idem ſpiritus immaterialis eidem animali unitus.

Horum utrumlibet quis ſupponat, impoſſibile erit, efficere, ut *perſonalis Identitas* in quopiam consiſtat, præter *conſcientiam*, aut latius, quam illa, pateat.

Per Primum enim, fatendum eſt, poſſibile eſſe, ut, qui e diverſis mulieribus, temporibuſque diverſis, natus eſt, idem ſit homo. Quam loquendi formulam, ſi quis admittat, fateatur neceſſe eſt, fieri poſſe, ut idem homo duæ ſit perſonæ, non minus diſtinctæ, quam duo homines, qui diverſis ſeculis viventes alter alterius cogitationes ignorabant.

Per Secundum & Tertium, *Socrates* in hac vita, & in futura, idem homo neutiquam eſſe poteſt, niſi per eandem *conſcientiam*; atque ita ſi *humanam Identitatem* in eadem re, qua *perſonalem* conſiſtere ſtatua-

tis (*V. med. de vol &c.*) deſtructis primis perceptionibus, non eſt eadem voluntas, per conſequens non æqualiter ipſa culpatur, ac primis perceptionibus vigentibus.

(*) Vulgares potius quam philoſophicæ expreſſiones ſunt hæ, ut videtur ex uſu hactenus ſemperque facto. *Tu fac apud te ut ſies*, inquit Terentius in *Andrian. Act. 2. Scen. 4.* COSTE.

tuamus, haud abſurdum erit agnoſcere, eundem hominem eſſe perſonam eandem. Qui vero *humanam Identitatem* in *conſcientia* ſola collocandam eſſe ſtatuunt, conſiderare debent, quomodo *Socratem* infantem eundem hominem cum *Socrate* facturi ſint poſt reſurrectionem. Quicquid vero id ſit, quod in opinione quorundam *hominem*, & conſequenter eundem hominem individuum efficit, de quo inter paucos fortaſſe convenit; certum interim eſt, perſonalem identitatem a nobis non niſi in *conſcientia* collocari poſſe (quæ illud unice eſt, quod *ipſum* vocamus) niſi, quod abſonum maxime & abſurdum eſt, aſſerere maluiſſemus.

§. XXII. Annon vero homo Ebrius, qui deinde rurſus ſit Sobrius, eadem eſt perſona, ſi ſecus, cur criminis pœnas luit, quod ebrius admittit, etiamſi nunquam poſtea conſcius ſit iſtius? ad hoc reſpondeo haud aliter eadem eſt perſona, quam is eſt, qui inter dormiendum ambulat, atque alia facit, quorum ergo, ſi delicta ſint, ad ſupplicium rapietur (*). Leges humanæ utrumque puniunt eo jure, quod modo illi conſentaneum eſt, quo homines res factumque cognoſcunt; quoniam in hiſce Caſibus, quod reale eſt, a ſimulato internoſcere certo nequeunt; atque ita in ebrietate aut ſomno ignorantia ut excuſatio ſufficiens non admittitur. Etſi enim ſupplicium *perſonalitati* annexum eſt, & perſonalitas *conſcientiæ*, atque ebrius fortaſſe haud conſcius eſt iſtius, quod perpetravit; humana tamen judicia ſupplicium de eo ſumunt: quoniam factum contra eum probatur, ipſum vero criminis haud conſcium fuiſſe, probari nequit (**). In noviſſimo autem maximi illius & tremen-

(*) Quando verificari nequiret realiter ſe dormiiſſe. SUAVE.

(**) Ratio altera, qua unus caſtigatur ob patrata in ebrietate confecta, illa eſt, quod ebrietas eſt ſtatus hominis, in quem utplurimum voluntarie incurrit ipſe homo; quapropter reus eſt, ex

mendi futuri Judicii die, quo cordium omnium res occultæ palam fient, probabile eſt, neminem pœnas iſtius luiturum, quod ignoranter fecit, & cujus nullo modo eſt conſcius; verum in unumquemque datum iri judicium, prout meritus eſt, & ſua ipſius quemque conſcientia accuſat aut excuſat.

§. XXIII.

Sola conſcientia ipſum *conſtituit*.

Conſcientia ſola remotas *exiſtentias* in perſona eadem unire poteſt; ſubſtantiæ identitas neutiquam illud efficere poteſt. Quæcunque enim ſit ſubſtantia, qualitercunque formata, ſine *conſcientia* haudquaquam *perſona* eſt: & cadaver æque perſona (130) eſſe poteſt, ac aliud quodvis genus ſubſtantiæ ſine *conſcientia*.

Si ſupponere poſſemus, diſtinctas duas & incommunicabiles *conſcientias* in idem corpus conſtanter, unam interdiu, alteram noctu agere; atque e contraria parte eandem *conſcientiam* in duo diverſa corpora per vices agere: rogo, annon in primo caſu, *diurnus & nocturnus vir* duæ forent perſonæ non minus diſtinctæ, quam *Socrates & Plato*; annon etiam in ſecundo caſu, una foret perſona in duobus corporibus diſtinctis, non minus quam unus homo eſt idem in veſtibus diverſis? nec ad rem eſt dicere, hanc eandem *conſcientiam*, quæ duo diverſa afficit corpora, & has *conſcientias* diſtinctas, quæ idem corpus di-

ex eo quia volontarie in eo ſtatu ſe poſuit, in quo patrata committi potuere Verum quando poſſit verificari, eum ebrium eſſe, multo minus luit pœnam, quam ſi in ſtatu naturali & ſui compos eſſet. *SOAVE*.

(130) En noſtri Auctoris defectus. Pluries repetit quod alibi dixit, ut hic efficit, per conſequens ea ſicco pede tranſigimus.

diverſis afficiunt temporibus, unam hoc modo ad eandem ſubſtantiam immaterialem, & duas alteras pertinere ad duas diſtinctas ſubſtantias immateriales, quæ has diverſas *conſcientias* in hæc corpora introducant; quod verum ſit nec ne, perinde prorſus eſt: cum manifeſtum ſit, *Identitatem perſonalem* æque fore determinatam per iſtam *conſcientiam*, ſive iſta conſcientia individuæ alicui ſubſtantiæ immateriali annexa fuerit, nec ne. Etſi enim neceſſario ſupponendum eſt, ſubſtantiam cogitantem in homine immaterialem eſſe, perſpicuum tamen eſt rem iſtam immaterialem cogitantem nonnunquam priſtina ſua *conſcientia* excidere, iterumque denuo ad eam reſtitui poſſe; videmus enim, homines præteritarum ſæpiſſime actionum ſuarum oblivíſci, mentemque ſæpenumero in conſcientiæ rerum actarum memoriam redire, per viginti annos amiſſam. Fingamus, intervalla iſta reminiſcentiæ & oblivionis viciſſitudines ſuas regulariter interdiu & noctu conficere, tunc duæ perſonæ cum eodem ſpiritu immateriali haud ſecus ſe nobis exhibebunt, quam in exemplo modo allato duæ perſonæ cum corpore eodem. Quapropter *ipſe* non per Identitatem aut Diverſitatem ſubſtantiæ, de qua certi eſſe non poſſumus, verum per *conſcientiæ* Identitatem tantum determinatur.

§. XXIV. Ut verum fatear, *Ipſe* percipere poteſt, ſubſtantiam, e qua nunc conſiſtit, prius extitiſſe, in ente eodem ſibi conſcio unitam: At vero *conſcientia* remota, ſubſtantia iſta non magis *ipſe* eſt, nec partem ipſius magis efficit, quam alia quævis ſubſtantia, prout patet ex allato exemplo membri a reliquo corpore amputati, cujus caloris aut frigoris, aut aliorum quorumvis affectuum, cum homo non amplius ſit conſcius, non magis eſt de *ipſo* homine, quam alia quævis Univerſi hujus materia. Non aliter ſe res habet immaterialis cujuſvis ſubſtantiæ reſpectu, quæ

quæ expers eſt iſtius *conſcientiæ*, per quam mihimet ipſi *ipſemet* ſum; adeo ut non poſſim retro reſpiciendo partem aliquam exiſtentiæ iſtius cum præſente iſta *conſcientia* conjungere, per quam *Ego* nunc *ipſemet* ſum, in ea parte iſtius exiſtentiæ non magis eſt egomet, quam aliud quodvis ens immateriale. Quicquid enim ſubſtantia quædam cogitavit aut fecit, quod ego nequeo in memoriam revocare, & per *conſcientiam* meam ipſius propriam cogitationem actionemque efficere, omne illud tantum abeſt, ut a quadam *mei* parte fuerit perpetratum aut cogitatum, ut potius non magis ad me pertineat, quam ſi cogitatum factumve fuiſſet ab alio quovis ente immateriali ubicunque gentium exiſtente.

§. XXV. Ego quidem conſentio, maxime probabilem eſſe opinionem, quod hæc interna noſtræ exiſtentiæ noſtrarumque actionum *conſcientia* cum una individua immateriali ſubſtantia connectatur, & iſtius propria ſit.

De eo vero homines, quod viſum ipſis fuerit, juxta uniuſcujuſque hypotheſes decernant. Hoc omni Enti intelligenti, in quo felicitatis aut miſeriæ ſenſus eſt aliquis, fatendum eſt, eſſe in ſe aliquid, quod *ipſemet* eſt, de quo ſollicitum eſt, & cui beatitudinem exoptat; hunc *ipſum* in continua duratione ultra momentum unum extitiſſe, ac proinde poſſibile eſſe, ut, limitibus nullis durationi ejus præſtitutis, per menſes annoſque venturos eodem modo exiſtat, & poſſe eundem eſſe *ipſum*, per eandem *conſcientiam*, ad futurum tempus continuatam. Hoc modo, per *conſcientiam* hanc ſe *eundem ipſum* eſſe reperit, cui lapſis jam annis aliquot hoc aut illud egit, in quo felicitatis ipſius aut miſeriæ præſentis cauſa conſiſtit. Atque in tota hac ratione, quam *ipſius* hic reddimus, haud eadem numerica ſubſtantia ſpectatur tanquam eundem *ipſum* conſtituens: verum continua eadem *conſcientia*, in qua poſſibile

eſt, ut ſubſtantiæ plurimæ fuerint unitæ, & ab ea rurſus ſeparatæ, quæ, dum in vitali unione cum eo permanſerunt, in quo *conſcientia* hæc tunc reſidebat, ejuſdem *ipſius* pars erant. Hoc modo corporis noſtri pars quævis vitaliter iſti unita, quod in nobis ſibi *conſcium* eſt, partem *noſtri* efficit: poſt ſeparationem vero a vitali unione, per quam iſta *conſcientia* cum hac parte communicatur, id, quod paulo ante erat, nunc non magis est pars *noſtri*, quam membrum alterius *mei* pars eſt; nec impoſſibile est, quin intra breve ſpatium vera pars fiat alterius perſonæ. Ita videmus, eandem numero ſubſtantiam partem fieri duarum diverſarum perſonarum; atque ſub variarum ſubſtantiarum mutatione eandem ſervari perſonam. Si poſſimus ſupponere, Spiritum quemdam omni memoria & ſibi conſcia actionum ſuarum præteritarum notitia penitus orbari; prout mentes noſtras iis magna ex parte, nonnunquam omnibus prorſus privari videmus; haud ſpiritualis iſtiuſmodi ſubſtantiæ, magis quam aliarum quarumvis materiæ particularum, unio aut ſeparatio majorem *Identitatis perſonalis* mutationem efficeret. Subſtantia quævis in præſenti huic enti cogitanti vitaliter unita, pars eſt *ejuſdem ipſius*, quod nunc exiſtit: & omnis Subſtantia iſti unita per actionum præteritarum *conſcientiam* partem etiam efficit *ejuſdem ipſius*, quod nunc idem eſt, quod tunc erat.

§. XXVI.

Perſona *terminus eſt forenſis*.

P*Erſona*, ut opinor, hujus *ipſius* nomen eſt. Ubicumque quis invenit illud, quod *ſeipſum* vocat, ibi, puto, poteſt aliter dicere, *eandem* eſſe *perſonam*. Nomen *Perſonæ* terminus eſt forenſis, qui actiones, & illarum merita propria alicui tribuenda

eſſe

eſſe oſtendit, ad Agentes itaque tantum pertinet intelligentia præditos, qui legum, qui beatitudinis aut miſeriæ compotes ſunt (131). *Perſonalitas* hæc ſe ultra præſentem exiſtentiam, ad illud, quod præteritum eſt, extendit, per *conſciam* tantummodo *notitiam*, cui tribuendum eſt, cur actiones præteritas haud ſecus, nec alia de ratione, quam præſentes ſibi imputet, & earum rationem ſibi reddendam eſſe cognoſcat. Hoc omne oritur ex eo, quod de beatitudine ſumus ſolliciti, atque hæc animi affectio *conſcientiam* ſemper & neceſſario comitatur; quod voluptatis enim & doloris capax ſe cognoſcit, *ipſi* iſti, quod in ſe ſibi hujus rei conſcium eſt, felicitatem exoptat. De iis itaque præteritis actionibus, quas *ipſi* iſti præſenti tanquam ipſius proprias per *conſcientiam* nequit tribuere, haud magis ſollicitum eſſe poteſt, quam ſi nunquam patratæ fuiſſent: adeo ut, ſi voluptate & dolore, *i. e.* præmio aut ſupplicio, ob ullam ejuſmodi actionem, afficeretur, perinde ſit, ac ſi quis in primo ſuo ortu, antequam aliquid bene aut male actum ab ipſo fuerit, beatus aut miſer redderetur. Si quis enim jam pœnas delicti penderet, quod in alia vita perpetratum erat, cujus nullo modo *conſcius* fieri potuit, haud video, quid intereſſet inter hoc ſupplicium, atque illud, quod cuidam ſtatim naſcenti fatali neceſſitate conſtitueretur. Huic conſentaneum eſt illud Apoſtoli, qui dicit de magno iſto Extremi Judicii die, *quo DEUS unicuique rependet juxta ipſius opera, cordium omnium occulta aperientur*. Judicii ſententia conſcientia ita comprobabitur, qua unuſquiſque convincetur *ſemetipſos*, in quibuſcunque demum corporibus com-

 pa-

(131) Si ſuppoſitum fuerit intelligens, *i. e.* ſi res diſtincte ſibi poteſt repræſentare, tum, ait Baumeſterus, *perſonam* appellamus (*V. Inſt. metaph.* §. 310.).

pareant aut qualicunque ſubſtantiæ conſcientia iſta conjuncta ſit, *eoſdem* eſſe, qui admiſerint ſcelera iſta & illorum pœnas meruerint.

§. XXVII. Credo equidem, me in argumento hoc tractando quædam ſuppoſuiſſe, quæ lectoribus nonnullis, & fortaſſe haud immerito, mira videbuntur. Ea tamen eſſe puto, quæ condonanda ſunt in hac, qua verſamur ignoratione naturæ rei iſtius cogitantis, quæ intus in nobis eſt, & quam *ipſos noſmet* eſſe putamus. Si ſciremus certo, quid anima ea ſit, aut quomodo certo cuidam ſyſtemati fluctuantium intus ſpirituum animalium ſit unita, atque utrum ea poſſit, nec ne, operationes ſuas cogitandi & recordandi extra corpus perficere non iis, quibus noſtra ſunt, organis inſtructum; utrumve deſtinatum ſit a Deo, ut nullus iſtius modi Spiritus nulli unquam, niſi certo cuidam corpori, uniretur, e cujus organorum conſtitutione memoria ipſius penderet: cerneremus tunc quam abſurda ſint plurima ex iis, quæ a me hic ſuppoſita erant. Si ſumamus vero (prout in iis, quibus circa hanc rem tenebris verſamur, vulgo ſolemus) animam hominis pro ſubſtantia immateriali, a materia non dependente; & ad omnem prorſus materiam æqualiter indifferente, haud abſurdum erit, ex rerum natura, ut ſupponamus, eandem numero animam poſſe, diverſis temporibus, uniri corporibus, & ſimul cum illis, tunc temporis, unum numero hominem conſtituere: prout pro conceſſo habemus, illud, quod heri corporis ovini pars erat, corporis humani portionem cras fieri, atque in unione iſta haud ſecus *Melibœi* nunc, quam arietis ipſius antea, partem vitalem efficere.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Difficultas ex eo oritur, quod nominibus haud recte utamur.

UT omnia concludam, quæcunque ſubſtantia exiſtere incipit, eam, quamdiu exiſtit, eandem manere neceſſe eſt: quæcunque ſubſtantiarum compoſitio incipit exiſtere, concretum ſeu compoſitum, durante hac ſubſtantiarum iſtarum unione, idem eſſe neceſſe eſt: *Modus* quicumque exiſtere incipit, durante ipſius exiſtentia, idem manet: atque eadem regula obtinet, ſi compoſitio fiat ex ſubſtantiis, & *Modis* diverſis. Unde liquebit, hujuſce rei difficultatem omnem magis ex nominum haud idoneorum uſu & applicatione, quam rerum ipſarum obſcuritate oriri. Quicquid enim ſit, quod ſpecificam *ideam* conſtituit, cui nomen certum tribuitur, ſi *idea* iſta huic nomini fuerit conſtanter annexa, cujuſdam rei diſtinctio in *eandem*, & *diverſas*, facile concipietur, nec circa eam ulla difficultas oriri poterit.

§. XXIX.

Exiſtentia continua Identitatem efficit.

SI ſupponimus, exempli cauſa, Spiritum rationalem conſtituere *hominis ideam*, ſcire facillimum eſt, quid ſit *idem homo*, nimirum Spiritus idem, ſive ſeparatus a corpore, ſive in illo ſit, *idem* erit *homo*. Si ſupponamus, Spiritum rationalem, corpori, certa quadam figura & membrorum conformatione prædito, vitaliter unitum, *hominem* efficere quamdiu Spiritus iſte rationalis cum vitali iſta partium conformatione unitus manet, etiamſi in corpore, cujus particulæ fluxu perpetuo ſibi invicem ſuccedunt, iſta conformatio continuetur, *idem* erit *ho-*

 mo.

mo. Si cui vero hominis *idea* nihil aliud eſſe videbitur, præter vitalem partium unionem in certa quadam externa figura, quamdiu vitalis iſta unio & figura manet in concreto, quod haud aliter eſt *idem* quam per continuam fluentium particularum ſucceſſionem, tamdiu *idem* erit *homo*. Quodcunque enim illud ſit, e quo *idea* complexa componitur, quamdiu exiſtentia efficit, ut ſit res una particularis & determinata ſub certa quadam denominatione, eadem exiſtentia continuata efficitur, ut idem maneat individuum ſub denominatione eadem.

CAP. XXVIII.

De aliis quibuſdam Relationibus & in primis de Relationibus Moralibus.

§. I.

Relationes proportionales.

PRæter memoratas ſuperius occaſiones rerum ad ſe invicem comparandarum e tempore, loco, & cauſalitate petitas, aliæ ut dixi, innumeræ ſunt, quarum de nonnullis mentionem nunc faciam.

Primo. Ea, quam initio memoraturus ſum, *ſimplex* omnis *idea* eſt, quæ, cum in partes aut gradus diſtribui poſſit, anſam nobis præbet ſubjecta, quibus ineſt, ad ſe invicem comparandi, idque ſimplicis iſtius *ideæ* reſpectu, *v. g. albius*, *dulcius*, *majus*, *æquale*, *plus*, *&c.* Relationes ſunt, quas liberum eſt nobis *proportionales* vocare, quoniam ex æqualitate & exceſſu pendent ſimplicis ejuſdem *ideæ*, in ſubjectis diverſis; has vero circa *ideas* tantum ſimplices verſari a *Sen-*

a *Senſatione* aut *Reflexione* receptas, perſpicuum adeo eſt, ut illud demonſtrare ſupervacaneum ſit.

§. II.

Naturales Relationes.

SEcundo. Occaſio altera rerum ad ſe invicem comparandarum, ſive rei unius ita conſiderandæ, ut in conſideratione iſta alia aliqua includatur, quæ ex originis ſive initii illarum circumſtantiis petita eſt; hæ enim, cum poſtea alterari nequeant, efficiunt, ut relationes ab iis pendentes, non minus diuturnæ ſint, quam ſubjecta illarum; hujus generis ſunt *pater* & *filius*, *fratres conſobrini*, &c. qui ad ſe invicem referuntur per ſanguinis communionem, cujus in diverſis gradibus participes ſunt; *compatriotæ i. e.* ii, qui in patria, aut regione eadem nati ſunt. Atque has voco *Naturales Relationes*: ubi notare licet, genus humanum notiones & voces ſuas ad vitæ communis uſum, non ad rerum veritatem & amplitudinem accommodaſſe. Certiſſimum enim eſt, Relationem inter genitorem & genitum in aliis animantium generibus revera æque eandem eſſe, ac in genere humano: rariſſime autem dicimus, taurum hunc avum eſſe vituli iſtius: aut columbos duos eſſe conſobrinos. Neceſſarium quidem eſt, ut in genere humano hæ Relationes obſerventur & vocibus diſtinctis ſignentur, cum legum & commerciorum, quæ homines inter ſe habent, ratio poſtulet, ut de hominibus ſub hiſce nominibus, mentio nonnunquam fiat: unde etiam varia iſta officia manent, quæ homines hominibus præſtare obſtricti tenentur. Cum vero, brutorum notare relationes haud e re noſtra ſit, non viſum eſt hominibus, eas diſtinctis & propriis ſignare nominibus. Atque hoc, obiter, lucis aliquid nobis afferre poteſt ad diverſum longe ſtatum & incre-

men-

mentum linguarum perdiſcendum, quæ, cum ad communis vitæ commoditatem aptatæ ſint, iis accommodantur notionibus, & cogitationum commercio, quæ maxime ſunt in uſu; non vero realitati aut rerum latitudini, neque variis reſpectibus, quæ in iis reperiri, neque diverſis iſtis conſiderationibus abſtractis, quæ de iis formari poſſent. Ubicunque deerant notiones philoſophicæ, ibi nomina etiam deerant ad illas exprimendas idonea: nec mirum eſt, homines haud nomina impoſuiſſe rebus iis, de quibus mentio nulla incidit. Hinc ratio facile reddi poteſt, cur in quibuſdam regionibus haud *equi* nomen ipſum inveniri poſſit; cum tamen in aliis, ubi de equorum magis, quam ſua ipſorum genealogia ſolliciti ſunt, non particularium tantum equorum, verum etiam cognationis illorum & diverſarum ad ſe invicem relationum nomina inveniantur.

§. III.

Inſtituta.

TErtio. Fundamentum res conſiderandi, cum reſpectu ad ſe invicem, eſt actus aliquis, e quo jus morale, poteſtas, ſive obligatio cuipiam naſcitur ad aliquod agendum. Ita *Imperator* eſt, cujus nutu & poteſtate *exercitus* regitur; atque exercitus, cui Imperator præficitur, eſt multitudo armatorum unius imperio ſubditorum. *Civis*, ſive *municeps*, eſt, ad quem certa privilegia in hoc aut illo loco de jure pertinent. Relationes haſce omnes, quæ pendent ex arbitrio hominum, aut pactionibus in vitæ communitate, *inſtitutas* voco, aut *voluntarias*, & a *naturalibus* in hoc diſtingui poſſunt, quod pleræque ex illis, ſi non omnes, aliquo modo alterari, & a perſonis ſeparari poſſunt, ad quas ſemel pertinebant, neutra ſubſtantiarum, ita relatarum, deſtructa. Etiamſi hæ omnes reciprocæ ſunt

ſunt, æque ac reliquæ, & in ſe continent rerum duarum ad ſe invicem reſpectum: quoniam vero relatorum unum nomine ſæpe caret, reſpectum iſtum denotante, relatio iſta vulgo haud animadvertitur, *v. g. Patronum* & *Clientem*, omnes ſtatim, primo auditu, *Cancellarium* vero ſive *Dictatorem*, haud feſtinanter adeo, relata eſſe agnoſcunt. Quoniam haud peculiare nomen iis impoſitum eſt, qui Dictatoris aut Cancellarii imperio ſubſunt, quo relationes ad hæc duo Magiſtratuum genera exprimuntur: etiamſi extra dubium eſt, eos certam obtinere poteſtatem in alios: atque eo nomine æque reſpectum habere ad eos, ac Patronus habet ad Clientes, aut Imperator ad exercitum.

§. IV.

Morales.

QUarto. Alia eſt relatio, quæ eſt actionum hominum voluntariarum convenientia aut inconvenientia cum regula, ad quam referuntur, & juxta quam judicium de iis fertur: Relationem hanc *Moralem* vocandam puto: cum ea ſit, per quam actiones noſtræ morales denominantur, quamque diligenter examinare debemus, cum nulla exiſtat cognitio, in qua e re noſtra ſit magis elaborare, ut claras adipiſcamur & diſtinctas *ideas*, atque obſcuritatem & confuſionem, quantum fieri poteſt, devitemus. Actiones humanæ, quando ex iis, una cum variis finibus, objectis, modis, & circumſtantiis illarum, diſtinctæ *ideæ* complexæ fiunt, totidem, ut ante demonſtratum eſt, *Modi* ſunt *Mixti*, quorum magnæ parti nomina ſunt impoſita. Ita, ſi ſupponamus, *Gratitudinem* eſſe voluntatem pro acceptis, & agnitis beneficiis gratiam perſolvendi: *Polygamiam* eſſe plures ſimul uxores ha-

habere: cum notiones haſce in animis formamus, tot ibi claras diſtinctaſque *ideas Modorum Mixtorum* habemus. Hoc vero non totum eſt, quod actiones noſtras ſpectat: haud ſatis eſt, illarum claras diſtinctaſque *ideas* habere, & ſcire, quæ nomina pertineant ad has & illas *idearum* combinationes, quæ complexam *ideam* efficiunt, cui nomen aliquod tribuitur; aliud eſt, in quo plus momenti eſt ad utilitatem noſtram, ſcire nimirum, utrum actiones ejuſmodi ita conflatæ, moraliter bonæ ſint, aut malæ.

§. V.

Bonum & Malum morale.

BOnum & *Malum* (*), ut alio in loco demonſtratum eſt, nihil aliud eſt, præter Voluptatem aut Dolorem, aut illud quod voluptatem aut dolorem in nobis excitat. *Bonum* itaque & *Malum moraliter* conſideratum, eſt actionum noſtrarum voluntariarum, conformitas tantum aut repugnantia cum lege aliqua, per quam, ex voluntate & poteſtate legislatoris, bonum aut malum in nos acceſſitur; atque Bonum & Malum, ſeu, quod idem eſt, voluptas aut dolor, quorum alterutrius, Legislatoris decreto, aut legi obtemperantes, aut contra facientes participes ſumus, illud eſt, quod *præmium & ſupplicium* vocamus (132).

§. VI.

(*) Vide hujus Libri Cap. XX. §. 2. it. Cap. XXI. §. 42.
(132) *V. Analyſ. boni pag.* 129. *tom.* 2.

§. VI.

Regulæ morales.

HArum regularum Moralium, aut Legum, ad quas homines vulgo reſpicere, & juxta quarum normam de actionum ſuarum bonitate aut pravitate judicium ferre conſueverunt, *tria* mihi *genera* eſſe videntur; uti & triplex eſt genus præmiorum & pœnarum, quibus hominum ſtudia incitantur. Cum enim fruſtraneum prorſus foret, normam concipere, ad cujus præſcriptum actiones hominum liberæ dirigendæ ſint, niſi ejuſmodi incitamentum iſti annexum ſit, ad voluntatem determinandam, neceſſe eſt, ubicunque legem ſupponimus, præmium aut ſupplicium aliquod Regulæ iſti connexum eſſe ſupponamus (133). Quorſum enim Ens aliquod Intellectuale regulam morum alteri traderet, niſi penes ipſum foret; morigeris præmia ſtatuere, atque in eos animadvertere, qui peccant contra normam, pollicendo bonum aliquod, & malum minitando, quod non continetur in actione iſta, nec ab ea naturaliter fluit. Illud enim, quod per naturam commodum, aut incommodum eſt, ex ſe, ſine ulla lege, operaretur. Hæc, ni fallor, vera eſt natura legum omnium, proprie ita dictarum.

§. VII.

(133) *V. adn.* 61. *uſq. ad* 63. *tom.* 1.

§. VII.

Leges.

LEges, ad quas homines actiones ſuas communiter referunt, ut de rectitudine aut pravitate illarum judicium habeatur, mihi videntur eſſe hæ tres: 1. Lex *Divina*. 2. Lex *Civilis*. 3. Lex *Opinionis* ſive *Exiſtimationis*, ſi modo eam ita appellare fas ſit. Si homines actiones ſuas ad legum harum primam referunt, dijudicant, utrum, quæ agunt, *peccata* ſint, an *pietatis opera*; ſi ad ſecundam, utrum *crimina* ſint, an *recte facta*; ſi ad tertiam, utrum *virtutes* ſint, an *vitia* (*).

§. VIII.

Lex Divina peccati & pietatis regula eſt.

PRimo, *Lex Divina* ea eſt, quam actionibus hominum DEUS præſcripſit, ſive per *Lumen Naturæ* (134), ſive *Revelationem* iis promulgata ſit. Deum hominibus ejuſmodi regulam tradidiſſe ad vitam ſuam gubernandam, nemo, arbitror, immanis adeo atque barbarus erit, ut inficiari velit. Id jure ſummo poteſt; ejus enim creaturæ ſumus: in eo bonitas & ſapientia ejus intelligi poteſt, quod actiones noſtras ad illud, quod optimum eſt, dirigat: atque potens eſt, nos ad illud ſtimulare præmia proponendo virtutibus, & ſupplicia vitiis, quæ, in altera vita, molis ſunt & durationis infinitæ: nemo enim facultatem habet, nos e manibus ejus eripiendi. In hac

(*) Communiter virtuoſæ dicuntur adhuc actiones quando ad legem divinam ac civilem referuntur. SOAVE.

(134) V. adn. 62. tom. 1.

hac regula unice, tanquam Lydio lapide, *moralis reſtitudinis* indicium omne conſiſtit; atque actiones ſuas cum lege hac comparando, de præcipua illarum *bonitate* aut *pravitate morali* homines judicium ferunt; hoc eſt, utrum propter *pietatis* opera, aut *peccata*, a *Deo Omnipotente* beatitudine aut miſeria afficiendi ſint.

§. IX.

Lex Civilis criminum & innocentiæ regula eſt.

SEcundo, *Lex Civilis*, ſive regula ab hominibus jure ſocietatis ad Civium actiones dirigendas, promulgata, altera eſt norma, ad quam homines actiones ſuas referunt, ut cognoſcant, utrum *criminis* ſint coarguendæ, nec ne. Lex hæc a nemine contemnitur; præmia enim & ſupplicia, in quibus firmamentum ejus conſiſtit, præſto ſunt, atque poteſtati reſpondent, per quam ſancitur, quæ eſt reipublicæ auctoritas, cujus officii munus eſt, vitam, libertatem, & fortunas illorum tueri, qui juxta harum legum præſcripta vitam ſuam inſtituunt, atque poteſtatem habet vitam, libertatem, aut bona iſti adimendi, qui, iis obtemperare, aſpernabitur; quod ſupplicium, eſt illorum, qui in legem hanc delinquunt.

§. X.

Lex Philoſophica virtutis & vitii menſura eſt.

TErtio, *Lex Opinionis* ſive *Exiſtimationis*. Conſtans ubique opinio eſt, virtutem & vitium, nomina eſſe actiones ſignantia ex natura ſua honeſtas & turpes: in quantum revera ita uſurpantur, *virtus* cum memoratis ſuperius *Divina Lege* plane congruit, &

& *vitium* eſt eadem prorſus res, quæ huic Legi contraria eſt. Utcunque vero opinio iſta percrebuerit, palam eſt, nomina hæc *virtus* & *vitium* ſpectata, prout particulatim inter diverſas in mundo nationes & cœtus hominum uſurpantur, iis tantum actionibus conſtanter tribui, quas in ſingulis gentibus bona aut mala exiſtimatio conſequitur (135). Nec mirum videri debet homines ubique *virtutis* nomen iis imponere actionibus, quæ inter illos laude dignæ cenſentur; atque contra eos id vocare *vitium*, quod culpandum eſſe judicant: alioquin ſemet culpæ arguerent, ſi quid *rectum* eſſe ſtatuerent, cui commendationem denegarent; aliquid *pravum*, quod ſine reprehenſione & infamiæ nota præterire ſinerent. Hoc modo menſura iſtius, quod ubique *virtus & vitium* appellatur, eſt approbatio hæc aut reprehenſio, laus aut vituperium, quæ occulto quodam & tacito conſenſu ſemet per cœtus, & varias ſocietates hominum paſſim in mundo ſancit; unde evenit, ut apud illos plurimæ actiones in bona aut mala exiſtimatione perinde ſint, prout gentis iſtius inſtituta, mos & conſuetudo civilis ſe habent (136). Etſi enim homines, ſocietatem inter ſe ineuntes, robur ſuum omne Reipublicæ tradiderunt, adeo ut non fas ſit, illud contra ullum civem ſecus exercere, quàm in regionis iſtius Legibus præſcriptum eſt; retinent nihilominus poteſtatem bene vel male cogitandi, approbandi aut improbandi illorum actiones, quibuſcum in civili communitate conſociati ſunt: atque approbationem & vituperationem hanc illud inter ſe ſanciunt, quod *virtutem* & *vitium* appellant.

§. XI.

---

(135) *V. adn 66. tom. 1.*

(136) *V. Meditationem noſtram de exiſtimatione hominum, ac honore.*

§. XI.

Lex Philoſophica virtutis & vitii menſura.

COmmunem hanc *virtutis* & *vitii menſuram* eſſe, perſpicuum erit omnibus, qui animis ſecum conſideraverint, etſi illud, quod in una regione *vitium*, in altera *virtus* appellatur, tamen ubique virtutem cum laude, vitium cum vituperatione ſemper conjungi. Virtus ubique gentium illud eſt, quod dignum laude cenſetur; nec præter illud, quod ad bonam hominum exiſtimationem dimanavit, quippiam virtus appellatur. Illa cum laude penitus ita conjuncta eſt, ut uno eodemque ſæpe hæc duo nomine denotentur. *Sunt hic etiam ſua præmia laudi* inquit (*) *Virgilius* & iſta (**) *Cicero*, *Nihil habet natura præſtantius, quam honeſtatem, quam laudem, quam dignitatem, quam decus*; quibus verbis ſtatim ſubjungit: *Hiſce ego pluribus nominibus unam rem declarari volo*. Hic Sermo eſt Philoſophorum Ethnicorum, qui non ignorabant, in quonam virtutis & vitii notiones, quas habebant, poſitæ eſſent. Et quamvis ex diſcrepantibus ingeniis, moribus, inſtitutis, & commoditatibus hominum diverſorum, fortaſſe, accidit, ut, in uno loco quod laudi hominibus ducebatur, in alio vituperationi eſſet; atque ita in ſocietatibus diverſis *virtutes* & *vitia* mutarentur: maxima tamen ex parte eadem ubique manſerunt. Quoniam enim nihil magis ſecundum naturam eſſe poteſt, quam, ut homines laudent, atque in ſumma exiſtimatione habeant illud, in quo ſuam uniuſcujuſque commoditatem contineri vident, & vituperant contrarium: haud

(*) Vid. Virgil. Æneid. Lib. I. v. 465. ubi vocabulum *Laus* ponitur pro *Virtute*.

(**) Cic. Quæſt. Tuſcul. Lib. II. Cap. XX.

mirum eſt, laudem & dedecus, virtutem, & vitium magna ex parte ubique convenire cum regula immutabili. Recti & Iniqui, quæ lege divina ſancita eſt; cum nihil ſit, quod directe adeo, planeque conducat ad conſervandam generis humani promovendamque in hac vita commoditatem, quam quidem traditarum a Deo legum obtemperatio, nihilque ſit, unde plus malorum, & confuſionis, quam ab illarum neglectu oriatur. Fieri itaque non poſſet, ut homines, niſi ipſi rationi, niſi ſenſui communi, &, quibus conſtantiſſime ſubſerviunt, ſuis etiam utilitatibus nuncium remiſiſſent, communiter errarent, laudem & vituperationem in eam partem conferendo, quæ neutiquam eam merebatur. Imo illi ipſi, qui ſecus vixere, haud in rebus approbandis erraruut; pauci enim adeo erant flagitioſi, ut non, in aliis ſaltem, dedecus illud culparent, quod ipſi admiſerunt; unde evenit, ut in ipſa morum corruptela, veri fines Legis Naturæ, quæ *virtutis*, & *vitii* regula eſſe debet, aliquatenus ſervarentur. Adeo, ut Doctores, afflatu divino inſtincti, in adhortationibus ſuis non dubitarint ad illud provocare, quod eſt in communi exiſtimatione (*). *Quæcunque accommodata, quæcunque boni nominis, ſi qua virtus, & ſi qua laus, &c.*

§. XII.

Vim a laude & dedecore mutuatur.

SI quis arbitrabitur, meam notionem ipſius **Legis** animo mihi excidiſſe, cum ſtatuam *legem*, ex qua homines *virtutem* & *vitium* æſtimant, nihil aliud eſſe præter privatorum conſenſum, qui ad legem con-

(*) Ita loquitur Divus Paulus Phil. IV. 8.

condendam haud ſatis auctoritatis habent: præſertim cum eo careant, quod neceſſarium adeo eſt, & eſſentiale legi poteſtate nimirum vim ipſi addendi: mihi, puto, dicere licebit, eum, qui in hac opinione verſatur, laudem ſcilicet & dedecus, haud magno ſatis incitamento eſſe hominibus, ut ſemet ad illorum opiniones & regulas conforment, quibuſcum communitas eſt ipſis & vitæ ſocietas, parum ſcire hiſtoriam generis humani, nec ſatis penetraſſe in naturam hominum: quorum partem maximam reperiret, ſemet præcipue, ſi non penitus, per Legem hanc Conſuetudinis gubernare; unde evenit, ut dummodo illud agant, de quo illi, quibuſcum conſueſcunt, bene exiſtimaturi ſunt, & ut bonam de ſe hac ratione opinionem excitent, parum interim Dei, aut Magiſtratus leges curantes. De pœnis, quas, contra legem Dei peccantes, perſoluturi ſunt, nonnulli, imo, fortaſſe, maxima pars hominum, rariſſime ſerio cogitant; & eorum, qui in eam cogitationem veniunt, multi inter peccandum putant, ſe tandem aliquando delictorum veniam apud Deum eſſe impetraturos: quod ad crimina attinet, contra reipublicæ leges patrata, de illis impunitatem ſperant. Nemo autem animadverſionem hominum & caſtigationem effugit, qui contra facit, quam illorum mos & opinio fert, quibuſcum ſocietate conjunctus eſt, & apud quos in magna exiſtimatione eſſe cupit. Et vix quiſpiam durus adeo eſt, ſenſuſque penitus expers, qui illorum, quibuſcum conſueſcit, perpetuas ſimultates, & reprehenſiones fere poſſit. Sane quammulti ex turba & frequentia hominum in otium & ſolitudinem ſemet contulerunt, nemo autem, in quo vel minima eſt ſuæ ipſius, ut hominis, naturæ cogitatio, ſocietatem vitæque communitatem ferre poteſt, in qua perpetuo ab iis culpatur, & exſtimatione ſua læditur, quorum in familiaritate maxime verſatur, hoc majus eſt onus, quam animi humani

robur tolerare poſſit: atque fieri nequit, quin is monſtrum ſit, & ex contradictoriis plane coagmentatus, qui in conſuetudine & convictu humano voluptatem capere poteſt, & tamen turpitudinis, & dedecoris iſtius, quod apud ſocios ſuos incurrit, omni ſenſu carere.

§. XIII.

Hæ tres leges regulæ ſunt boni & mali moralis.

HÆ tres itaque *Primo*, Lex Dei; *Secundo*, Lex Politiæ Civilis; *Tertio*, Lex Conſuetudinis, eæ ſunt, ad quas homines actiones ſuas varie referunt: & ex conformitate illarum ad unam aliquam ex hiſce legibus homines eas metiuntur; quotieſcunque de morali illarum rectitudine judicium ferre, & actiones ſuas bonas vel malas denominare volunt.

§. XIV.

Moralitas eſt actionum Relatio ad Regulas haſce.

SIve regula iſta, ad cujus normam actiones noſtras voluntarias exigimus, ut de illarum rectitudine conſtet, ex patriis moribus (*), ſive ex voluntate Legiſlatoris ſumatur, mens facile poteſt actionis cujuſdam relationem ad eam animadvertere; & judicare, utrum actio cum regula conveniat, an repugnet. Atque ita notionem habet *bonitatis* aut *pravitatis moralis*, quæ actionis cujuſdam conformitas eſt, aut repugnantia cum norma iſta: & proinde *moralis Rectitudo* ſæpe vocatur. Cum Regula hæc nihil aliud ſit, præter plurium *idearum ſimplicium* collectio-

(*) *V. adn. 50. 69. tom. 1.*

lectionem; actio redditur iſti conformis, ſi eam ita diſponimus, ut *ideæ* iſtius ſimplices iis reſpondeant, quas Lex poſtulat. Hinc videmus quomodo Entia & Notiones morales fundatæ ſint, & terminentur in *ideis* iſtis ſimplicibus, quas e *Senſatione* aut *Reflexione* hauſimus, præter quas nihil eſt in intellectu, circa quod cogitationes verſari poſſint. Exempli gratia, complexam *ideam* conſideremus, quam per vocem *Cædem* ſignificamus. Si eam in partes diſtributam ſigillatim examinaverimus, videbimus collectionem eſſe *idearum* ſimplicium, quas per *Reflexionem* aut *Senſationem* ſumus adepti. Nam *Primo* per *Reflexionem*, in mentis noſtræ operationes inſtitutam, *ideas* habemus volendi, contemplandi, deſtinandi, malevolendi; nec non *ideas* vitæ, aut perceptionis, & facultatis movendi. *Secundo*, a *Senſatione* oritur collectio ſenſibilium *idearum* ſimplicium hominis, & actionis alicujus particularis, per quam efficimus, ut perceptio iſta, ſive motus in homine extinguatur (137); quas omnes *ideas* ſimplices vox *Cædes* complectitur. Cum mihi compertum ſit, collectionem hanc *idearum* ſimplicium regionis iſtius, in qua educatus fui, opinioni & exiſtimationi conſonam eſſe, aut contrariam, & a pleriſque omnibus ibi laude aut vituperio dignam cenſeri, tunc actum iſtum *virtutem* aut *vitium* appello. Si Supremi & inviſibilis Legislatoris voluntas mihi pro norma eſt; tunc actionem iſtam, quatenus imperata a Deo, aut vetita eſſe videtur, bonam aut malam, *peccatum* aut *officium* eſſe dico; & ſi iſtam refero ad Legem Civilem, regulam nempe loci iſtius poteſtate legislativa ſancitam, tunc, eam licitam eſſe, aut illicitam, crimen eſſe, aut non eſſe, aſſero. Undecunque igitur *Actionum*

P 3 *Mo-*

(*) V. adn. 53. 65. tom. 1. (*)
(137) V. adn. 30. 33. 41. tom. 2.

Moralium regula ſumatur, quodcumque ad exemplar virtutum aut vitiorum *ideas* in mente formemus, conſtant tantum, conflatæque ſunt e collectionibus *idearum* ſimplicium, quas primitus a *Senſatione* aut *Reflexione* recipimus (138), atque rectitudo aut obliquitas illarum, in *convenientia* conſiſtit aut *repugnantia* cum exemplaribus iis per legem aliquam præſcriptis.

§. XV.

Moralitas eſt actionum reſpectus ad regulas ſuas.

UT *Actiones Morales* recte concipiamus, dupliciter conſiderandæ ſunt. *Primo*, Prout in ſe ſpectantur, ex certa quadam ſimplicium *idearum* collectione conflatæ. Hoc modo *Ebrietas*, aut *Mendacium* hanc aut illam collectionem ſignat *idearum* ſimplicium, *Mixtos* quas voco *Modos*; atque hoc ſenſu non minus ſunt *poſitivæ* & *abſolutæ ideæ*, quam hæc actio eſt, cum potat equus, aut pſittacus loquitur. *Secundo*, Actiones noſtræ ſpectantur, tanquam *bonæ*, *malæ*, aut *indifferentes*, atque hoc ſenſu, *relativæ* ſunt; illarum enim cum norma aliqua convenientia, aut repugnantia efficit, ut regulares aut irregulares, ut bonæ ſint aut malæ; atque ita, quatenus cum regula comparantur, atque inde denominationem habent, ſub relationem cadunt. Ita cum unus alium ad pugnam provocat, quatenus certus quidem modus eſt poſitivus, & actus peculiaris, per *ideas* particulares, ab aliis omnibus diſtinctus, *Duellum* (139) dicitur; quod, cum ad Legem Dei refertur, *peccati* nomen meretur; cum ad Legem Conſuetudinis, in gentibus nonnullis, *fortitudo* & *virtus* dicitur; cum ad Leges mu-

(138) *V. adn. 61. uſq. ad 66. tom. 1.*
(139) *V. Med. ſequent.*

municipales quarundam civitatum, *crimen* habetur, quod capite plectitur. In hoc caſu, quando Modus poſitivus diverſa nomina habet, ſecundum diverſos ad legem reſpectus, haud difficilius eſt, diſtinctionem animadvertere, quam in ſubſtantiis, ubi unum nomen, *v. g. homo*, uſurpatur ad ipſam rem, alterum, *v. g. Pater*, ad relationem notandam.

§. XVI.

Actionum nomina ſæpe nos in errorem ducunt.

QUoniam vero ſæpiſſime poſitiva actionis *idea*, & relatio ipſius moralis, ſub uno nomine ſimul comprehenduntur, atque vox eadem adhibetur, ad modum ſive actum, atque moralem ejus rectitudinem aut obliquitatem ſignificandam; ideoque Relatio ipſa minus attenditur; & ſæpenumero haud *diſtingui* ſolet inter *poſitivum* actus *ideam & reſpectum, quem habent ad regulam*. Cum res plane diſtinctæ ſub uno nomine hoc modo, confundantur, ii, qui ſonorum impreſſionibus nimis facile cedunt, & quibus familiare eſt, nomina rerum loco ſumere, de actionibus judicantes in errorem ſæpe ducuntur. Hoc modo, alteri, quod ipſius eſt auferre, illo inſcio aut non comprobante, proprie *furtum* (140) dicitur: cum vero nomen illud communiter uſurpetur ad moralem malitiam actus & repugnantiam ejus cum lege denotandam, moris eſt hominibus, damnare illud, quod furtum dicitur, tanquam actum ſceleratum, atque recti & honeſti regulæ repugnantem (141). Si quis vero homini furioſo gladium clanculum ſurripere velit, ut ſceleris anſam ipſi percipiat,

(140) *V. adn.* 41. *tom.* 2.
(141) *V. adn.* 56. 67. *tom* 1.

piat, etſi furtum proprie ſit, ut *Modi* iſtius *Mixti* nomen ſignificat; quando tamen ad legem Dei comparatur, quæ regula eſt ſuprema, haud peccatum eſt, licet vox *furtum* ita communiter accipiatur.

§. XVII.

Relationes ſunt innumerabiles.

HActenus de actionum humanarum relatione ad legem ſatis diſſeruimus, quas idcirco *Relationes Morales* appello. Voluminis hujus magnitudo nimis creſceret, ſi relationum genera omnia enumerando percenſerem: ſupervacaneum itaque eſt, omnes exponere. Huic inſtituto noſtro ſat eſt, exemplis hiſce monſtrare, quales *relationis ideas* habeamus; ea quidem tam *varia* eſt, & uſus ejus *multiplices*, adeo (tot nimirum ſunt, quot occaſiones dantur rerum ad ſe invicem comparandarum) ut perdifficile ſit, eam certis regulis, & capitibus juſtis complecti. Eæ, quas memoravi, puto, ſunt e numero præcipuarum, & e quibus videre eſt, undenam relationum ideas nanciſcamur, & illarum quæ ſint fundamenta. Priuſquam vero argumentum hoc miſſum faciam, ex iis, quæ dicta ſunt, liceat mihi ſequentia deducere.

§. XVIII.

Relatio omnis in ideis ſimplicibus terminatur.

PRimo: Perſpicuum eſſe, *Relationem omnem terminari*, & fundari ultimo *in ſimplicibus iſtis ideis*, quas a *Senſatione* aut *Reflexione* recipimus: adeo, ut illud omne, quod ipſimet cogitamus, (ſi modo in nobis ulla eſt de aliqua re cogitatio, aut ejus ſenſus,) aut aliis ſignificari volumus, cum vocibus

cibus utimur relationes exprimentibus, nihil aliud ſit præter ſimplices quaſdam *ideas*, aut collectiones *idearum* ſimplicium ad ſe invicem comparatarum. Hoc liquido patet in iis, quæ *proportionales* vocantur. Quando enim quiſpiam dicit, *mel eſt dulcis cera*, manifeſtum eſt, cogitationes ejus in hac relatione terminari in ſimplici hac idea, ſcilicet *dulcedine*; quod non minus vere dicitur de reliquis omnibus, etiamſi, ubi maxime compoſitæ noſtræ cogitationes ſunt, ſimplices ideæ, e quibus coagmentantur, raro, fortaſſe, animadvertuntur; v. g. cum de voce *patre* mentio fit, *Primo* intelligimus ſpeciem iſtam particularem, aut *ideam* collectivam, quæ per nomen *hominem* ſignatur; *Secundo*, Simplices iſtas *ideas* ſenſibiles, quæ in voce *generatione* includuntur; *Tertio*; Effectus enim iſtius, & ſimplices omnes *ideas*, qua vox *puer* denotat. Similiter vox *Amicus*, cum ſumatur pro homine, *qui amat alterum*, *& beneficia in eum conferre ſtudet*, ex omnibus hiſce *ideis* ſequentibus componitur. *Primo*, Simplicibus *ideis* omnibus, quæ in voce *homine*, aut *Ente Intelligente* continentur. *Secundo*, *Charitatis* idea. *Tertio*, *propenſæ* ſive benignæ *voluntatis idea*. *Quarto*, *idea actionis*, quæ cogitationis, aut motus genus eſt quoddam. *Quinto Boni idea*, quæ rem quamvis denotat, in qua utilitas ejus continetur; & ſi diligenter examinetur, videbimus, illud terminari ultimo, in ſimplicibus *ideis* particularibus, quarum una aliqua per nomen *bonum* (142) in genere ſignificatur; ſi vero ab *ideis* omnibus ſimplicibus penitus removeatur, nihil omnino ſignificat. Eodem etiam modo, voces omnes morales terminantur ultimo, etiamſi, fortaſſe, magis remote, in *idearum* ſimplicium collectione: cum vocum relativarum ſignificatio immediata ſæpiſſime con-

(142) *V. pag.* 129. *tom.* 2.

contineat relationes, quæ tanquam cognitæ ſupponuntur; quas ſi inveſtigemus & perſcrutemur diligenter, palam erit, eas in ideis ſimplicibus ſemper terminari.

§. XIX.

Habemus vulgo claram æque (aut clariorem) notionem Relationis, ac fundamenti.

SEcundo. Nos in Relationibus, maxima ex parte, ſi non ſemper, *claram æque notionem habere relationis, ac ſimplicium idearum iſtarum, in quibus fundatur*: *convenientia* enim, & *repugnantia*, quibus relatio nititur, res ſunt, quarum nos non minus claras habemus, quam alterius cujuſvis *ideas*; ad hoc enim requiritur tantum, ut *ideas* ſimplices, aut illarum gradus a ſe invicem diſtinguamus, ſine quo impoſſibile eſſet, ut cognitionem aliquam diſtinctam haberemus. Si clara enim in me eſt *dulcedinis*, *lucis*, aut *extenſionis*, erit etiam æqualis aut pluris, aut minoris horum ejuſvis *idea*: Si ſciam, quid ſit hominem unum e fœmina naſci, nimirum *Sempronia*, ſcio, quid ſit alium hominem ex eadem *Sempronia* naſci; & proinde claram æque *fratrum*, ac *partuum*, & fortaſſe clariorem notionem habeo. Si compertum enim haberem *Semproniam* eandem *Titium* peperiſſe, & *Cajum*, etſi modi, quo factum eſt, neſcius forem, fratrum horum inter ſe relationis notio non minus clara mihi foret, quam ſi obſtetricum artem omnem callerem; quoniam, unum eadem Sempronia editum eſſe æque, ac alterum, notio eſt, in qua fundatur relatio; utcunque ortus iſtius particulares circumſtantiæ fortaſſe ignorentur. Ut fundamentum habeamus notionis de *fraternitate*, quæ eſt aut non eſt inter eos, ſufficit, illos ſecundum originem, quam ab una eademque perſona habent,

bent, comparare, licet hujus originis particulares circumſtantias non agnoſcamus. Etſi vero particularium relationum *ideæ*, poſſunt non minus claræ eſſe & diſtinctæ in illorum mentibus, qui diligenter eas animadvertent; quam *Modorùm Mixtorum*, & magis determinatæ, quam ſubſtantiarum ideæ; relationum tamen nomina, ſæpe non minus dubiæ ſunt, & incertæ ſignificationis, quam ſubſtantiarum Modorumve mixtorum; & multo magis, quam ſimplicium *idearum* nomina. Cum voces enim relativæ hujus collationis notæ ſint, quæ fit tantum per cogitationes, atque in ſolis hominum mentibus *ideæ* eſt, familiare eſt hominibus, eas ad diverſas plane rerum comparationes applicare, juxta ſuam cujuſque opinionem (*), quæ non ſemper cum aliorum ſententiis congruit, iiſdem nominibus utentium.

§. XX.

(*) Hic reminiſcor de quodam æquivoco in eo quod Lockius inquit, poſito. Duæ fœminæ ſimul loquentes, una loquitur de homine ſibi noto, ajens optimum eſſe, paulo poſt characterem ejus efformans dixit, hunc injuſtum eſſe, ac intollerabilem tam mulieri, quam ceteris omnibus, qui cum illo negotia habent. Super hoc fœmina alia, quæ ſpiritum rectum ac perſpicacem habebat, de novo facto charactere deprehenſa exclamavit: *Mais n' avez-vous pas dit tout à l' heure que c' étoit un tres bon homme? Oui vraiment, je l' ai dit*, ſtatim altera reſpondit, *mais je vous aſſure, Madame, qu' on n' en vaut pas mieux pour être BON*, ultima hæc verba fortiter exprimens dixit, ſe mirari, perſonam objectionem facientem adhuc veritatem illam tam manifeſtam non percepiſſe. Hoc in ſenſu ejuſmodi fœminarum *bonum eſſe*, non aliud ſignificat, quam ſe Ædem ingredi & officia Religionis externæ acquirere. *COSTE*.

§. XX.

Notio relationis eadem eſt, ſive Regula, ad quam actio quædam comparatur, vera ſit aut falſa.

TErtio, nos in iis, *morales*, quas vocamus relationes, veram adipiſci notionem relationis, actionem cum regula comparantes, ſive regula vera ſit, ſive falſa. Cum enim quippiam per ulnam metior, ſcio, utrum res, quam metior, longior ſit, an brevior ulna iſta exiſtimata, etiamſi, fortaſſe, ea, qua utor, ulna non ſtata ſit menſura, qua uti debemus; quod alterius quidem diſquiſitionis eſt, etiamſi enim haud recta ſit norma, & quod ad eam attinet, verſer in errore; *convenientia* tamen & *repugnantia* rerum, cum illa comparatarum, mihi maniſeſtiſſima fiunt; atque in hoc relationis notio conſiſtit. Per falſam vero regulam rem dimetiens, de morali ejus rectitudine falſum judicium laturus ſum; quoniam eam ad regulam haud veram exegi; non autem erro circa actionis iſtius relationem ad regulam, cui a me actio iſta comparatur, quæ *convenientia* eſt, aut *repugnantia*.

ME-

M E D I T A T I O
JOHANNIS LEONARDI MARUGJ

De Exiſtimatione hominum ac honore.

EX illis omnibus, quæ nos tangunt, ea potiſſimum, quæ nobis proſunt, vel quibus deficientibus, vitam non commodam, hilaremque trahimus, ab experientia edocti magni facimus, & a quodam interno ſenſu perducti ante reliqua tenemus. Hæc generalis regula, quæ entibus omnibus, quot quot ſint, convenit, ac æque diffunditur, una eſt, tantum modificatur ratione gradus, & emolumenti naturæ, quod cum rebus ipſis nanciſcimur, vel nanciſci credimus. Homo ita eſt ab Auctore ſuo conſtitutus, ut indeſinenter ferat ſe erga illud, quod ſibi confert, vel conferre putatur; quam ob rem ideam quamdam, cujus ope poſſit res ipſas comparare, & internoſcere ex tot tantarum numero quarum una uſu, & delectatione, qua afficit, debeat alteri præcellere, quodam peculiari ac incognito perinde modo ſibi animo figit. Si hanc ideam, vel menſuram communem, qua quid ens valeat, vel quid conferat homini, ſtatuitur, ideæ relationis alligatam (*a*) rebus in commercio habitis aptemus, *pretium* (*b*) nuncupatur; ſi perſonis *exiſtimatio*. Quemadmodum itaque in acquiſitione rerum, ut recipiatur bonum, quod ita ſibi videtur, aliquid poſſidenti in ipſius rei compenſatione tribuitur, ita in actionibus hominum, ut aliis vel ſibi proficuæ exercentur, oportet quodam modo eas rependere, & quid facienti tribuere. Si hæc, quæ menſura communis dicitur, & ideæ relationis alligatur, nobis remanet, ita ut nihil aliud præter internum ſenſum (*c*), cum nobis circumſcripta detineatur, ipſum

---

(a) Ex eo quia refertur ad opinionem alterius, ut infra enodabimus.

(b) Tomaſius ſic definit pretium, „ Eſt igitur pretium va„ lor rerum, & actionum in commercium venientium, quate„ nus uſum aliquem, & delectationem afferunt hominibus „ (*V. Juriſpr. Div. lib.* 2. *Cap. XI.* §. 4.)

(c) Nimirum ſenſus illius, quo credit actiones alterius debere unumquemque rependere.

veris, intrinſecis, bonis qualitatibus, vel perfectionibus eruitur (*g*), ſecunda a ſtatutis civilibus, vel a falſis, chimæricis, ac

---

(g) Eſt vera exiſtimatio & a nonnullis *naturalis* appellatur. *Lætus ſum, laudari me, inquit Hector, opinor apud Nævium, abs te, pater a laudato viro. Ea eſt profecto vera laus, quæ ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt*. Cicer. (*V. lib. XV. ad fam. Ep. VI.*) Montagne more ſuo ſic ait „ Mirum eſt,
„ quod omnia præter nos propter ſuas qualitates exiſtimentur.
„ Equum laudamus, quia pulchritudinem vigoremque habet

Sic laudamus, equum facili volucrem cum plurima palma
Fervet, & exultat vacuo victoria circo

„ non pro ſuo tegmine, canem propter ſuam celeritatem non
„ pro ſuo monili, ovem propter agilitatem non pro ſua ſupel-
„ lectili, qua ergo ratione non æſtimemus hominem propter il-
„ lud quod ſuum eſt? Magnum comitatum, palatium magnifi-
„ cum, Cenſum conſiderabile, magnam hæreditatem, tenet ille:
„ omnia extra ſe, circum ſe, non in ſe ſunt. Si equum emi-
„ tis, neglecta ſupellectili, nudum illum optatis videre . . . &
„ qua ratione hominem totum involutum exiſtimatis, in hoc
„ extemo apparatu divitiarum, comitatus, ac ſplendidæ tracta-
„ tionis perdirum? . . Ille oſtendit quod non eſt ſane ſuum, &
„ illud abſcondit ex quo de ſuo valore, ac exiſtimatione poteſt
„ dijudicari. Tollite baſim, ut ajebat Seneca, ſi preciſe de ſta-
„ tuæ altitudine velitis dijudicare; ſuas divitias, ſuoſque ho-
„ nores ponat, & ſe in ſola tunica, ita dicam, præſentet. Ha-
„ bet ille corpus ad ſuas functiones aptum, ſanum, ac hilare?
„ Qualem animam habet? Pulchra eſt, gaudet eo quo opus eſt
„ ad officia, functioneſque? Dives ſui vel alieni eſt? Nihil
„ cum fortuna tenet? Si eſt ſua ſorte contenta, ſi æqualis,
„ mitis, moderata; Hoc eſt videndum, & ex hoc dijudicanda
„ magna diſcrimina, quæ inter nos ſunt . . . Horatius magiſter
„ eſt illis, qui non exiſtimant homines, quam per illud quod
„ non eorum eſt, appellans eos ad puerorum judicium, ubi na-
„ tura legitima eſt adhuc

Si quadringentis ſex, ſeptem millia deſunt,
Et animus tibi, ſunt mores, & lingua fideſque;
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris ajunt
Si recte facies . . . Epiſt lib. 1. Ep. 1, ver 57.

(*V. Saggi lib. 1. Cap. XII., & quoque Charron de la Sageſſe lib. 1. cap. V. §. 34.*)

Eſt

ac ficitiis qualitatibus efformatur (*h*). Cum itaque non ſit honor præter ſignum ipſius judicii, videtis quod honor ipſe ſuam originem ſequitur, & dici poteſt *ſuperficialis*, *appoſitus*, *extrinſecus*, vel *intrinſecus*, *ſolidus*, *naturalis*. Hic vero virtuti donetur, ille cuique ſcit alterius imaginationem percudere, & alienam opinionem adipiſci (*i*). Primus ſedem in ſtatu naturali

Eſt collaudandus quod in Gallia eſt conſtitutum, nam inter bona cætera hoc eſt poſitum „ Ton eſtime tu garderas pour les vertus, & non l' argent „

(h) Dicitur quoque exiſtimatio *civilis*. Pendet a conſtitutione Status, in quo homines vivunt. Romani ſuos collocabant captivos inter bona, nec magis quam argentum, prædia &c. eos conſiderabant (*V. Dig. lib. XLVIII. T. V. ad leg Jul. de adult.*) qui certas profeſſiones exercens ut carnifices, hiſtriones &c. ſunt parum vel nihil exiſtimati. Vidua, quæ ante ſtatutum tempus ſe nubebat, erat a Romanis infamia notata, ut & qui eam in uxorem ducere curavit (*V. Dig. lib. 3. T. 2. de his qui not. inf. leg. XI. V. Cujac. obſ. VI.*) qui mores, vel ſtatuta lædunt, exiſtimationem lædunt, econtra qui ea obſervant. *Exiſtimatio eſt dignitatis illæſæ ſtatus legibus, ac moribus comprobatus, qui ex delicto noſtro auctoritate legum; aut minuitur, aut conſumitur* (*V. Dig. lib. 1. T. XIII. de exerc. ord. cognit. leg. V.*). Inter chimæricas exiſtimationes poſtea pernumerari poſſunt duella

Adde quod injuſtum rigido jus dicitur enſe:
Dantur, & in medio vulnera ſæpe foro.

(*V. Ovid. lib. V. Eleg. X. v. 43.*)

Opiniones diverſæ. Æthiopes corporis altitudinem magni faciebant, & in electione Regum ad hoc magis quam ad animi facultates attendebant (*V. Temiſt. Orat. XIV., Herodot lib. III. cap XX.*). Et Montagne ait, quod tres Americani cum in Galliam veniſſent, videntes multas gentes circa Carolum IX., qui juvenis erat, obſtupuerunt, ex eo quia tot magni homines, ac ſenes obediebant homini tam parvo, & juveni, nec potius eligebant unum ex illis, qui circumerant eum. (*V. Sag. lib. 1. Cap. XXX.*)

(i) *Vere virtuti*, ut ingenio, eloquentiæ, perſpicacitati, valori &c. tribuitur naturaliter quoddam venerationis ſignum. „ Honor ait Montagne eſt privilegium, quod a veritate ſuam „ pri-

rali (*k*), & in ſtatu Republicano renet (*l*), ſecundus in ſtatu Monarchico, vel in illo, qui de Monarchia partem trahit (*m*). Quemadmodum plura ſigna dari poſſunt, & duplicis ſpeciei conſiderari, ut verbis, actionibus, ſalutationibus, & inſignibus, facultatibus, immunitatibus &c., ita honor hoc duplici ſenſu conceditur, primus *honor ſimplex*, ſecundus *honor diſtinctionis* appellatur (*n*). Ulterius cum honor innixus ſit qualitatibus vel perfectionibus alterum adjuvandi; poteſt duobus modis conſiderari, & ratione *cui*, & ratione *quo*; *cui*, quoad eos, quibus proſunt qualitates; *quo* quoad qualitates quæ proſunt. Primo ſenſu eſt *naturalis* vel *civilis*; naturalis eſt ſignum conceſſum perfectioni alicujus vitam in ſtatu naturæ degentis: civilis in ſtatu civili, vel in ſocietate viventis (*o*); Secundo ſenſu eſt *abſolutus* vel *relativus*: abſolu-

---

„ primam eſſentiam & a virtute trahit „ (*V. lib. 2. Cap. VII.*) ut & *cui* &c. . Nam ex judicio falſo, falſum oritur ſignum, per conſequens qui ſcit hoc judicium falſum ab hominibus ſibi comparare.

(κ) Cum non oriatur, quam ab ipſa natura, luculenter patet locum non habere quam in ipſius naturæ ſtatu.

(l) E quo opiniones repelluntur, & virtutes triumphant.

(m) Nam oritur ex opinione Regis, qui ſæpe circumvenitur, & male dijudicat. Et en ratio, qua ait Monteſquieu, honorem eſſe principium movens in Monarchia, nimirum propter dependentiam, vel attentionem individuorum ad voluntatem Regis, cauſa vincendi ipſius opinionem, caſu in quo Monarchia ſubſiſtit; aliter contra Regis voluntatem agentibus ſubditis, ſtatim ipſa rueret.

(n) Multi hoc confundunt, nos vero ſic conſiderari debere putamus.

(o) In ſtatu naturæ, ut ſalutationes, genuflexiones, ferarum pelles, qualibus antiqui homines in induebant, poſt victorias cum ipſis feris habitas propter valorem in pugna oſtenſum: in ſtatu ſocietatis, vel in ſtatu *Civili* ea omnia, quæ diſtinctionem in bonitare ſignant. Hæc poſſunt arbitraria eſſe. *Hobeſius* ait quod ſtatus adhærere poteſt honorem quibuſdam rebus, quæ natura ſua indifferentes ſunt (*V. Leviathan Cap. X.*). Apud Perſides pro magno honore reputabatur in Regis equo aliquem per Civitatem ducere. Sic varia exempla pene infinita habemus quæ videri poſſunt (*V. Eſther VI. 8.*, *V. Bern. Var. deſcript. Jap. pag. 21.*, *V. Neuhof. deſcript. Chin. cap. VI.*). Rex ſigna ſtatuit, & juxta

Re-

tus ſi gradibus perfectionum reſpondet (*p*), relativus ſi habet rationem ad raritatem ipſius perfectionis (*q*). Sed ut argumentum melius enucleemus, hominem perpendamus, & quodam modo rebus in commercio exiſtentibus cum comparemus.

Homines agunt. Actiones productæ nequeunt ſuos non pandere effectus. Effectus hi, quocunque modo conſiderentur, nocere, vel prodeſſe poſſunt. En gravitas actionum. Cum homo propria natura non ſe lædere conſideretur, reſpiciuntur actiones non quoad hominem eas producentem; ſed quoad ceteros. Unuſquiſque eſt liber, & ejuſmodi, ut voluntati ullius non eſt naturaliter ſubjectus, verum in ſocietate conſideratus, ad quædam ſocietatis officia tenetur, ad reliqua non eſt devictus. Leges pro-

---

Regis opinionem honor civilis modificatur. Pulchrum eſt, quod CAROLUS V. ſtatuit in honoris quæſtione, quam duæ Matronæ ſuæ Cohortis agitabant ad templi ingreſſum, nimirum *quæ magis inſania laborat, prima tranſeat*, quapropter utræque prima eſſe repugnabant (*V. Trattato dell' uſo dell' iſtoria, diſcorſo VI. dell' Ab. di S. Reale*) nihilominus multoties adſunt honores non vacui, ut dicuntur, ſed qui aliquid exprimunt, ut ſunt *tituli, ſedes &c.* Italiæ Principes pro titulo *Magni Ducis Etruriæ*, quam Pontifex PIUS V. COSIMO I. conceſſit, ſe hac de cauſa concitaverunt (*V. Andr. Mauroc. lib. XII p. 484.*) plures contentiones adhuc ortæ fuere pro Ferrariæ Ducis, ac Parmæ præeminentia, ut & inter Nuntium Pariſiorum ac Hiſpaniarum (*V. Fra Paolo Iſtor. del Concil. di Trento lib. V.*)

(p) Verus honor eſt, *Demens, quid intereſt, quam lecti premas partem? honeſtiorem te, aut turpiorem poteſt facere pulvinus?* inquit recte Seneca (*V. de Ira lib. 3. cap. XXXVII*). *Habet enim venerationem juſtam quidquid excellit.* Sic Cicero (*V. de Nat. Deor. lib. 1. Cap. XVII.*) Δοκεῖ γὰρ ἡ τιμὴ ἐν τοῖς τιμῶσι μᾶλλον εἶναι, ἢ ἐν τῷ τιμωμένῳ (*V. Ariſt. Eth. Nic. lib. 1. cap. 3.*). „ Honor, ait Montagne, eſt privilegium quod „ primam ſuam eſſentiam a veritate, virtuteque trahit „ (*V. lib. 2. cap. VII.*)

(q) Ut rebus eſt pretium; hoc habetur in ratione inverſa generum. Aqua vilior eſt ratione quantitatis, etſi optima abſolute atque carior exiſtimetur communiter „ Vos ſcitis, inquit Plato, quod raritas pretium rebus conſtituit; aqua, ut Pindarus ait, excellens eſt, ſed cum nimis communis ſit, non exiſtimatur „ (*V. Eutyd. in fin.*). Hinc eſt, quod quidam honores raro tribuuntur; nec aliis, quam illis, qui rationibus perfectionibus ſunt imbuti, quapropter majores evadunt.

prohibent, malum alteri non afferre, voluptate atque gaudio cæteros afficere; profecto non jubent, vel ſaltem eo tenuiter; & moderate jubent, quod faciilime confunditur, & omittitur imperatum (*r*). Qui præcepta conſervant, quibus ſe ſponte ſubjecerunt, nihil homini conferunt, tantummodo non tollunt quod ei eſt. Hinc perſpicitur, quod obſervatione legum nulla utilitas internoſcitur, & actio in earum obſervatione confecta, recte loquendo, pretium non habet. Verum ex eo quia quoddam libertatis adminiculum homini eſt, quo frangantur leges cum alterius læſione, communiter fuit ſtatutum, aliquid accidentalis in eo conſiderari debere (*ſ*). Sic pariter in ſtatu naturali. Apud omnes viget, ſenſum reſiſtentiæ alterius, & proprias cum alterius vires comparando circumſcribitur libertas. Itaque ſi homo eſt ejuſmodi conſtitutus, ut nequeat contrarias vires ſuperare, hominem non lædendo, nihil pretii in ſuis pacificis actionibus conſideratur, nam pene illum non eſt, malum alteri afferre; verum ex eo quia inopinate, ac ſubreptione poteſt contra alios ſuas pandere actiones, ſic quid alicujus ponderis ei tribuitur & a cæteris diſtinguitur, ſi nihil malæ voluntatis in eo reſpicitur. Quod ergo conſideratur eſt potentia, qua poſſit homo hominem lædere, & gradus ipſius *poſſe* ad calculum reducitur,

dici-

(r) Quamquam unuſquiſque debeat pro altero agere, nam, ut ait Seneca, *Quantulum eſt non movere cui debeas prodeſſe* (*V. Epiſt. 95.*), & Tomaſius, *Socialitati enim in totum non ſatisfacit, qui tantum abſtinet a læſione alterius* (*V. Inſtit. Juriſpr. Div. lib 2. cap. VI.*) attamen verum eſt, quod legem ſi quiſquam obſervet, ad aliud non teneatur.

Leno ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium
Perjurus, peſtis, tamen tibi a me nulla eſt injuria.

(*V. Ter. Adelp. Act. 1. Sc. 1.*)

(ſ) Et hæc eſt ratio, qua legimus: *Exiſtimatio eſt dignitatis illæſe ſtatus legibus, ac moribus comprobatus, qui ex delicto noſtro auctoritate legum aut minuitur aut conſumitur* (*V. Dig. lib. L. T. XIII. de exerc. ord. cognit, leg V.*). Sic contra eſt commune aſſatum, ut Puffendorfius inquit, (*V. preſſo Almici lib. 8. cap. IV.*) „ quilibet præſumitur bonus donec probetur contrarium „. Et hoc ſenſu apud omnes æqualiter exiſtimatio habetur; *Sed ſanctitas morum*, ajebat Plinius, *non diſtat ordinibus.* (*V. lib. V. Epiſt. III.*)

dicitur poſtea realis vel imaginaria, juxta quod eſt, vel imaginatur: per conſequens oritur *exiſtimatio*, & *honor*; *intrinſecus* &c, vel *extrinſecus* ut paulo antea adnotavimus: exiſtimatio, quoad qualitatem: honor, quoad ſignum judicii ipſius qualitatis (*t*). Homines ergo in ſtatu naturali conſtituti exiſtimationem comparant, & hinc honorem (*u*) obſervantia officiorum naturalium (*x*), in ſtatu civili obſervantia legum (*y*), & ex eo quia in calculo introducitur illud *poſſe lædere*, exceſſus ipſius *poſſe* ſuperat ſuum contrarium *valorem* intrinſecum deſignat, & hinc *honorem*, *exiſtimationem*. Quam ob rem major exiſtimatio eſt ei, qui in corruptione legum, vel in amiſſione pœnarum leges obſervat (*z*), quam ei qui in vigilantia legum vivit. Ma-

---

(r) En quomodo hoc exprimitur à Montagne: „ Pulchrum „ fuit inventum, quædam vana ſigna figere, pro virtutis honore, ut lauri, myrti &c. coronæ, quarundarum veſtium „ forma, privilegium . . . . Eſt revera laudabile, „ nam hoc modo cognoſcitur virtus hominum . . . . Nec fuit „ ſine ratione, ſi pretio, quod debet eſſe ſimplicis honoris, uniretur commoditas, diviriæ &c. pro exiſtimatione augenda „ minueretur eadem. S. Michaelis *Ordo*, eo quod fuit apud nos „ concreditus & reſpectatus, nihil commoditatis habebat. Ideo „ non abſque ratione virtus ſua propria compenſatione gaudet, „ quæ tantum glorioſa eſt, & ſine utilitare, nummum ad „ omnium perſonarum opus pro remuneratione pertinet, ut illud „ concurſatoris, famuli, mercenarii &c. quod ad vitiorum augmentum inſervit . . . . Unde virtus hoc commune pretium „ non deſiderat, ſolum monetam illam, quæ eſt propria, particularis, nobilis, generoſa, ut honorificentia, gloria, diſtinctio (*V. Saggi lib. 2. cap. VII.*) „ *Victori tibi*, ait. Pontanus ad Alphonſum Aragonenſem, *Dux Alphonſe, ac libertatis patriæ propugnatori debetur a civibus tuis corona ea, quam e quercu ſtatuere majores illi omnium bonarum artium, ac præcipue fortitudinis muneratores non minus liberales, quam æſtimatores prudentes* (*V. lib. 1.*)

(u) Ut in conſequentia exiſtimationis comparatæ ope virtutis (g).

(x) Per conſequens juxta opiniones individuorum, nam ex ſtatutis atque opinione hominum officia oriuntur (66. *tom. 1.*)

(y) *V. adn. 5.*

(z) Ratio oritur ex ipſa potentia. Hac de cauſa dixit Quintilianus. *Hoc tantum ab adſectibus veſtris omnium mortalium nomine*

Major ei, qui fortitudine, animi præſentia præditus in naturali ſtatu eſt, quam qui eſt debilitate, ac puſillanimitate deprehenſus.

Illud *poſſe* hactenus conſideratum, ſi contrario modo reſpicitur, altera exiſtimationis ſpecies eruitur. Agere pro bono alterius tenuis, atque verſatilis eſt lex, & tantum in quibuſdam circumſtantiis ad id obligatur *(aa)*. Qui ſuum venditant opus, in commercio ſunt, & ut cetera in commercio habita pretium habent, & emuntur, non ita qui extra commercium ſunt, & conficiunt actiones quadam ſpontaneitate, & abſque nullo ſenſibili emolumento *(bb)*. His actionibus quoddam pretium adhæ-

---

ne peto, ne cui nocenti pœnæ præſtetur arbitrium. Infinitam judices ſceleribus aperitis audaciam, ſi pœnam licet eligere condemnato. Nulla pœna eſt niſi invito . . . Nec jam ullam mortalium innocentiam trepidatione contineas, ſi patitur deprehenſus, quod maluit (*V. Declam. IX. cap. VIII.*). Et Horatius ita

Jam vaga proſiliet frænis natura remotis.

(*V. lib. XXI. Sat. VI.*)

(aa) Sic Heinnecius. *Fundamentum ſuorum officiorum, æqualitas naturæ æqualia etiam officia exigunt, inde nemo lædendus, ac ſuum unicuique tribuendum. Hæc enim officia perfecta, ac juſtitiæ dicuntur, ad quorum exercitium quique poteſt obligari per modum coactionis; alia autem ſunt officia imperfecta, & beneficentiæ, ad quæ nemo poteſt obligari per vim niſi in caſu extremæ neceſſitatis* (*V. lib. 1. c. VII. §. 172.*)

(bb) Prohibetur multoties, propter quædam opera mercedem accipere; nam crederetur, ſic ea vilia reddere. Per jus Romanum Juriſconſulti, ac Philoſophi nullam mercedem poterant expoſcere propter conſulta ac inſtructiones. *An & philoſophi profeſſorum numero ſint? & non putem . . . Quia hoc primum profiteri eas oportet, mercenariam operam ſpernere. Proinde ne juris quidem CIVILIS Profeſſoribus jus dicent: eſt quidem res ſanctiſſima Civilis Sapientia: ſed quæ pretio nummario non ſit exiſtimanda, nec dehoneſtanda.* (*V. Dig. lib. 1. T. XIII. de extraordinariis cognitionibus leg. 1.*), *Emis* inquit Seneca, *a medico rem inextimabilem vitam, ac valetudinem bonam: a bonarum artium præceptore ſtudia liberalia, & animi cultum; itaque his non rei pretium, ſed operæ ſolvitur quod deſerviunt, quod a rebus ſuis avocati nobis vacant. Mercedem non meriti, ſed occupationis ſuæ ſe-*

Google

ſere, & quemadmodum de rebus in commercio dicitur *moneta*, *aurum*, *argentum &c.* ſic ejuſmodi operationibus quid tribuitur, quod dicitur *conſideratio*, *reſpectus*, *veneratio &c.* ſi hæ operationes naturalibus ac intrinſecis qualitatibus adhærent, intrinſeca exiſtimatio eſt; ſi qualitatibus extrinſecis, & mutuatis, puta propter facultates, munera &c. extrinſeca vocatur, *chimærica* poſtea, vel *vera* juxta quod veræ vel Chimæricæ ſint qualitates (*cc*). Honor, ut diximus, ſuam ſequitur originem, & vocabula *intrinſeci*, vel *extrinſeci*, *veri* vel *chimærici* ſumit. Signa propter intrinſecas qualitates tributa, honor intrinſecus eſt; propter extrinſecas extrinſecus; propter veras verus, propter falſas vel chimæricas, falſus vel Chimæricus poteſt nuncupari (*dd*).

Ho-

---

ferunt (*V. de Benef. lib. VI. Cap. XV.*, *adhuc Quint. Inſtit Orat. lib. XII. cap. VII.*) Pythagora eos deridebat, qui a juventute ſumebant argentum, ut eos res non ſuſceptibiles pretio docerent. *μυσθὼν τῶν ατιμήτων πράττοντας*. (*V. Jamblich. de vita Pithag pag.* 34.)

(cc) Multoties oriuntur ex opinione, ut oritur pretium; cenſetur cuidam ineſſe qualitates optimas, quæ revera deficiunt, & ratione illius opinionis tribuitur honor. Quot homines adinvenimus, qui magni facti in nihilo valent? Percurrite gradus munera, dignitates, & infinitos, vel pene infinitos, invenietis.

(dd) Hobbeſius ſic definit honorem, *honor proprie loquendo, nihil aliud eſt, quam opinio alienæ potentiæ conjunctæ cum bonitate* (*V. de Cive cap. XV. §. 9.*) addit poſtea, *Honorem autem in opinione ſitum neceſſario conſequuntur tres affectus: amor, qui ad bonitatem; ſpes & timor, qui ad potentiam referuntur* (*ib.*). Ejuſmodi eſt humana conditio, quod unuſquiſque vitia ipſa virtutis forma induit, ut a cæteris honorem extorqueat. Avarus putat, ſe curam divitiarum habere, & ſobrium eſſe; prodigus liberalem, ſuperbus magnanimum, oppreſſor Principis utilitatis vigilantem &c. Apud nonnullos per delicta ipſa tribuuntur honores patranti. Id fit ex potentiæ opinione, vel ex voluptate quam afferunt; heluones, ebrii multoties acclamationes recipient, quæ inter honoris ſigna recte numerantur (*V. Ariſtoph. in Achar. Act. 1. Sc. 2. v. 78.*), ſic pariter audaces, loquutores, inconſiderati (*V. Philon. de Mig. Abrah. pag. 413. Edit. Pariſ.*) ut & qui malitioſi ſunt, ac celeberrimi Alcatores

Aleator quanto melior, tanto nequior.

(*V.*

Homo poteſt operari & pro hominibus ſingulatim conſideratis, & pro hominibus ſimul conjunctis, & ut in uno imaginatis, primo caſu ſigna pro ſuis operationibus acquiſita, dicuntur honor *naturalis*, ſecundo caſu honor *civilis*, hunc tribuit Rex, Reſpublica, ſocietas in qua vivitur; illum individuum cui affert bonum (*ee*), vel effectus ipſius operationis (*ff*), & uterque a nobis dicitur honor ratione *cui*.

Omnia in commercio habita acquirunt valorem, ratione inverſa quantitatis, & ratione directa neceſſitatis; pariter actiones ho-

(*V. Pub. Syr. v.* 773.) Et ſæpe ſæpius in ipſis delictorum exceſſibus honorem improbi reponunt. *Ob magnitudinem infamiæ*, inquit Tacitus, *cujus apud prodigos noviſſima voluptas eſt* (*V. Annal. lib.* 2.)

(ee) Princeps, etſi innocentem ait Puffendorfius, a ſtatu poteſt Civem expellere: pariter emolumentis poteſt eum injuſte orbare: atque prærogativis, quas conſervationi civilis honoris adhæſerunt, expoliare (*V. Dritto delle Genti illuſtrato da Almici tom.* 4. *lib.* 8. *cap.* 4. §. 9.), id dici poſſe, credo, non propter aliud quam propter opinionem id merito fieri, etſi culpa vere quiſquam careat. Quomodocunque ſit, ſequitur, quod etſi injuſta fuerit ſententia, qua quidam fuit infamia notatus, requiritur ſententiæ revocatio ab ipſo Principe facta (*V. Cod. Teod lib.* 9. *Tom.* 38. *de ind crim.*) ut reintegretur honor ipſius. Econtra ipſe Princeps honoris ſigna tribuendo, poteſt quemdam immerito diſtinguere. Non ita ſi in ſtatu naturali conſideratur. Tum ſola potentia, vel animi virtus honorem exigit. „ Honor, inquit Ariſtoteles, perhibet teſtimonium exiſtimationis, „ quæ beneficis tribuitur; ex quo ſequitur, quod redditur ho„ nor eis potiſſimum, qui bonum afferunt „ (*V. Reth. lib* 1. *cap.* 3.). Cæſar adhuc juvenis a Piratis captus, juxta *Paterculum*, etſi captivus, honorem exigebat. Econtra Scythiam incolentes olim Alexandro dicebant; *Qui ſis, unde venias, licet ne ignorare in vaſtis ſylvis viventibus? nec ſervire ulli poſſumus, nec imperare deſideramus* (*V. Quint. Curt lib.* 8.) Sic Cæſari *ARIOVISTUS*, *ſi quid ipſi a Ceſare opus eſſet, ſe ſe ad eum venturum fuiſſe; ſi quid ille a ſe velit, illum ad ſe venire oportere* (*V. Ceſ. de bello Gall. lib.* 1. *cap.* 34.). Non abſimili modo VOLOGESUS Neroni reſpondit (*V. Xiphlinum, Riſtretto di Dione pag.* 175.)

(ff) Homines primorum temporum ferarum pellibus induebantur; hæ honoris ſigna erant, nam ut effectus tolerati periculi potentiam oſtendentes homines ipſos decorabant.

hominum : per conſequens exiſtimatio haberi debet in ratione compoſita ex inverſa facilitatis, qua quædam operatio confici poſſit, & directa neceſſitatis, qua quiſque eget. Et ſigna gradus hujus rationis exprimentia gradus honoris *relativi* determinat, & gradus boni allati, vel qualitatum; quibus ſupponuntur operationes bonæ, gradus honoris *abſoluti* figunt (gg). Utraque dicimus ratione *quo*.

Ex

(gg) *Habent enim*, inquit Cicero, *venerationem juſtam quid quid excellit* (*V. de Nat. Deor. lib. 1. cap. 17.*). Sic apud Samuel; *cucurerrunt itaque, & tulerunt eum inde, ſtetitque in medio populi, & altior fuit univerſo populo ab humero & ſurſum. Et ait Samuel ad univerſum populum: Certe videtis, quem elegit Dominus: quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo* (*V. Samuel I. Cap. X. v. 23*) bonum aliis efficere cum proprio damno rarum eſt, at rariſſimum pro aliis vitam in ancipite ponere. Contra Patriæ inimicum pugnare, eſt quid non omnibus conceſſum; at propriam voluntatem, divitias, vitam ipſam pro Patria profligare eſt pauciſſimis datum; Hominem ſervare bonum eſt, at multo magis Civitatem, Provinciam, Regnum &c. per conſequens major exiſtimatio ineſt, & hinc honor illis &c. quam illis: major eis, qui cum labore alteri utilitatem afferunt, quam abſque detrimento & moleſtia. *Definite*, ait Tomaſius, *aliorum utilitati inſervimus vel abſque detrimento, aut moleſtia noſtra, vel cum impenſa aut opera laborioſa. Illud vulgaris humanitatis dicitur, hoc beneficium* (*V. Inſt. Juriſpr. Div. lib. 2. cap. 6. §. 29.*). Pulcherimi ſunt illi verſiculi, quos Horatius fecit

Non quo more pyris veſci Calaber jubet hoſpes,
Tu me feciſti locupletem. Veſcere ſodes.
Jam ſatis eſt. At tu quantum vis tolle. BENIGNE.
Non inviſa feres pueris munuſcula parvis,
Tam teneor dono, quam ſi dimittar onuſtus.
Ut libet; hæc porcis hodie comedenda relinques.
Prodigus & ſtultus donat, quæ ſpernit & odit.
Hæc ſeges ingratos tulit, & feret omnibus annis.

(*V. lib. 1. Ep. 7. v. 14.*). Sic Seneca; *Quis beneficium dixit quadram panis, aut ſtipem æris abjecti, aut ignis accendendi factam poteſtatem? & interdum iſta plus proſunt, quam maxima: ſed tamen vilitas ſua illis, etiam ubi tempore facta ſunt neceſſaria, detrahit pretium* (*V. de Benef. lib. 4. cap. 29.*). Si ergo exiſtimatio

Ex dictis patet I. qua ratione primi homines pelle ferarum induti, juxta ferocitatis animalium ſe coudecorabant (*hh*). II. Cur qui ſancte vivunt, nec in alios ſuas extendunt actiones *honorati* dicuntur; & contra infames, qui in alios ſuas pandunt vires (*ii*). III. Cur ſcientiæ, artes profeſſiones eo magis exiſtimantur & decorem eas exercentibus tribuunt quo magis ad bonum, ac hominum utilitatem, tendunt, vel vitam alterius conſervant (*kk*). IV. Cur captivi (*ll*), ille-

---

matio reſpondet pretio, vel valori, aut clarius utilitati alteri allatæ, quid exiſtimationis, vel remunerationis his factis concipi debet, & hinc honorem tribuere. Si honor eſt virtutis pretium hic cum Terentio dicam

Ego Charine neutiquam officium liberi eſſe hominis puto
Cum is nihil promereat, poſtulare id gratiæ apponi ſibi.
(*V. Andr. Act. Sc.* 1. *verſ.* 33. 34.)

(hh) Nam conſideratur in eadem ratione eſſe periculum toleratum, fortitudinem expertam, potentiam aliis malum afferendi, vel a periculis vi propria ceteros liberandi.

(ii) *Homo*, ait Seneca, *ſic bono viro digna facere debet, ut nihil faciat viro indignum* (*V. de ira lib.* 1.). Et ſic quidam recens Auctor verba facit: „ Cum celebre Comite S. Raphaelis „ irreligioſos ipſos appello ad hanc veritatem probandam, fictio„ nes inordinatæ, inſidiæ perverſæ, quibus ad invicem ingrediun„ tur, fides ad invicem interruptæ, beneficia; quæ tyrannidem „ olent, monſtroſæ ingratitudines, invidiæ conſtantes, ſuſpectus „ fallaces, fictæ benevolentiæ ſunt facti argumenta, quæ „ oſtendunt probabiliter ne hilum quidem honoris dari, ubi re„ ligio deeſt „ (*V. Morardo Filoſofia militare tom.* 2. *cap* 12.). Religio neceſſaria eſt ad bene vivendum. Et vivere ſancte hoc eſt cuilibet jus ſuum tribuere, eſt cum honore vivere.

(kk) Nimirum propter majus bonum, quod afferunt: econtra qui profitentur artes quæ parum, vel nihil emolumenti publicæ utilitati afferunt, parum, vel nihil debent exiſtimari. Hiſtriones hoc potiſſimum tempore quid utilitatis afferunt? Cantatores, muſici in quo ſtatui conferunt? Monſtroſum ergo, quod hodie ſic in laude vivant, & ignominiæ notam rumpere pertentent, quando ſcientias, optimas artes profitentes perparum exiſtimantur, & ſæpeſæpius primis poſtponuntur.

O ſeclum inſipiens & inficientum:

(ll) Ex eo quia agunt ex voluntate ſui domini, per conſequens

illegitimi (*mm*), hiſtriones (*nn*) & illi, qui operam locabant contra gladiatores, vel contra feras pugnare (*oo*), infamia fuere, vel ſunt notati. V. Cur duella pro calumniis, vel contumeliis receptis in honorum notis fuere locata, & eos qui provocati ea aufugiunt dedecore ſignarunt (*pp*). VI. Cur honorati dicuntur qui voluntatem ſui Regis adimplent (*qq*), & pro Status vel ſocietatis bono ſuam negligunt vitam, vel eligunt ipſam mortem (*rr*). VII. Cur Divitiæ (*ſſ*), inſignia, munera homines

---

quens quando adhuc bonum afferunt, eſt imperii effectus, non potentiæ, vel voluntatis ipſorum. Hinc inter res a Romanis conſiderabantur, ut propria voluntate, & potentia agendi orbati (*V. Dig. lib. XLVIII. T. V. ad Leg. Jul. de adult.*)

(mm) Nimirum propter morem contra leges agere ex genitoribus eis præſumptum.

Fortes creantur fortibus, & bonis.

(*V. Hor. lib. IV. Od. IV. v.* 29.)

(nn) *Vid.* (kk)

(oo) *V. Seld. de jur. natur. & gent. lib. IV. cap. V.* hoc inter Romanos erat, & credo propter lucri deſiderium, propter quod vitam ipſam in ancipite ponebant, ex quo fortaſſe argumentabatur facilius alterius vitam ad quæſtum ponere.

(pp) Signum fortitudinis eſt, ait Hobeſius, ſic in eo, qui provocat ut in eo, qui provocatur (*V. Leviathan cap. X.*). At de hoc plura dici deberent, quæ brevitatis cauſa omittimus.

(qq) Conſideratur Regis voluntas ad bonum ſui ſtatus directa.

(rr) *V. adn.* (gg). Hinc eſt quod pro ſtatu bellum geret, & belli difficultates ac pericula ſubire, ut faciunt milites &c., permagni exiſtimatur, & munus ejus condecoratum dicitur. *Non reſpondit eis*, inquit S. Auguſtinus, *arma abjicite, militiam deſerite . . . quia ſciebat eos, cum hæc militando facerent, non eſſe homicidas, ſed miniſtros legis, & non ultores injuriarum ſuarum, ſed ſalutis publicæ defenſores* (*V. lib.* 22. *contra Fauſt cap.* 74).

(ſſ) Ex eo quia potentiam bonum alteri faciendi ſuppeditant. Avari quid efficiunt? Divitiæ in illis quid honoris ſignant?

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi

Fu-

nes diſtinguunt (*tt*); VIII. Cur verus honor in Republicis, falſus in Monarchia adinvenitur (*uu*). IX. Cur honores verſatiles ſint, & juxta nationum opiniones (*xx*). X. Cur Principes

---

Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

(*V. Hor. Od.* 2. *lib.* 2.)

& alibi

Creſcentem ſequitur cura pecuniam
Majorumque fames. (*V. lib.* 3. *Od.* 16.)

Hinc eis recte dici poteſt

Ego quod te inveni, potior cui multo eſt cibus
Nec tibi prodeſſe, nec mihi quicquam potes.
Hoc illis narro, qui me non intelligunt.

(*Phæd. lib.* 3. *Fab.* 13.)

(tt) Propter ipſam potentiam benefaciendi, vel malum alteri afferendi, nam virtutem eis licet præſumere. *Vos*, dicebat quidam Romanorum *Dux*, *quoque æquum eſt commilitones omnia honeſta loca ducere, quibus Rempublicam defenſuri ſitis*, *Spurius Liguſtin* (*V. Liv. lib* 42. *cap.* 34), & ſic legitur in Exodo, *Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam; & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios; & decanos, qui judicent populum omni tempore. Quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo judicent* (*V. cap.* 18. *v.* 21.). Verum non ſemper hoc obſervatur. *Proinde quaſi Pretura, & Conſolatus, atque alia hujuſcemodi per ſe ipſa clara; ac magnifica ſint; ac non proinde habeantur, ut eorum qui ea ſuſtinent, virtus eſt.* (*V. Salluſt. in bell Jugurth. cap.* 4. *in fin.*)

(uu) Primus ex virtute, ſecundus ex opinione Regis, quæ utplurimum fallax eſt.

(xx) Nam virtus, opinio verſatilis eſt (*tom.* 1.). Ex hoc fit, quod hilum aliquæ nationes ceterarum honores exiſtimant, *Pythagori*, inquit Cicero, *Actidani*, *Lepiſones cæteri homines apud nos noti inter ſuos nobiles* (*V. Orat. pro L. Flacco cap.* 22.). Et videri poteſt quantum Populi in hac opinione diſtent, hiſtorias percurrendo.

cipes titulos diligenter conſervant (*yy*) . XI. Cur nomina ad res non reſpondentia , vel tituli, qui nihil deſignant , vel aliquid deſignare nequeunt, ſupervacanei ſunt, ac inutiles (*zz*) . Cur honores a cæteris tribuuntur , & modificantur non juxta veram intrinſecam exiſtimationem , ſed juxta opinionem honorantis (*aaa*) . Cur honores a Magiſtratibus , ac Regibus ſuppeditantur (*bbb*) . Cur denique natales (*ccc*) virtutes (*ddd*) dant jus ad honores petendos . Hæc omnia una cum reliquis , quæ ex dictis fluunt , & nos omittimus , vos ex hactenus præſtructis perbelle internoſcetis .

CAP.

(yy) Sunt ſigna potentiæ , vel poteſtatis (o) . Hac de re videri poteſt (*Bateus Elench. motuum nup. in Anglia P. 2. p. 293. idem Grot. lib. 1. cap. 3. §. 10. , ſic Sidney diſcours ſur le gouv. cap. 2. Sec. 32.*)

(zz) SAPOR Perſidum Rex ſe Solis ac lunæ fratrem appellabat (*Amm. Marcell. lib. 27. cap. 5.*) & Romanis hic titulus reputabatur ejuſmodi , ac ſi diceretur Apollinis ac Veneris , quando apud Perſides aliquid majoris exiſtimatur . Sic adſunt tituli, qui in re nihil ſignificant, ergo nec etiam exiſtimantur .

(aaa) Eſt ſignum valoris alicui ab hominibus datum (cc. ee.) .

(bbb) *V. Daumat dritto pubb. T. IX. P. 1.* Sic Plinius , quæ diſcrimina ordinum , dignitatumque , ſi confuſa , turbata , permiſta ſint , nihil eſt ipſa æqualitate inæqualius (*V. lib IX. Ep. V. , adhuc V. Cod. lib. XII. T. 8. ut dignitatum ordo ſervetur leg. 1.*) , Præterea quis poteſt potentiam tribuere præter Regem ?

(ccc) Contraria ratione quam diximus (*mm*) . Si vero factis contrarium obſervatur , tum debet dici contrarium . Hæc fuit ratio , qua Ægyptii non exiſtimabant natales , ut Diodorus Siculus ait , nam nullam commemorationem de eis in funebribus orationibus faciebant , quapropter hac ratione erant omnes æquales (*V. lib. 1. Cap. XCII.*) .

(ddd) Propter utilitatem quam, alteri afferunt . Quam ob rem dixit Satyricus

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria , nobilitas ſola eſt atque unica virtus .

(*V. Juven. Sat. VIII. v. 6.*) Et Claudianus

. . . & meritum , non quæ cunabula quævis ,
& qualis , non unde ſalus . (*V. lib. 2. v. 123.*)

C A P. XXIX.

De Claris & Obſcuris, Diſtinctis & Confuſis IDEIS.

§. I.

Idearum aliæ ſunt claræ & diſtinctæ, aliæ obſcuræ & confuſæ.

CUm *Idearum* noſtrarum, quæ ſit origo, & varia genera oſtenderim; cum a me animadverſum ſit, quomodo ſimplices a complexis differant; quomodo complexæ etiam in eas dividantur, quæ *Modorum*, *Subſtantiarum*, & *Relationum* ſunt, quæ omnia, puto, facere is neceſſum habebit, qui ſcire penitus velit, quem progreſſum mens faciat, dum in percipienda rerum cognitione verſatur, hominum, fortaſſe, opinio erit, me in *idearum* examine ſatis diu hæſiſſe. Nihilominus, ſpero, veniam dabunt, ut paucula quædam de iis ulterius ſubjiciam. Primum eſt, nonnullas eſſe *claras*, alias *obſcuras*; quaſdam eſſe *diſtinctas*, alteras *confuſas*.

§. II.

Clarum & obſcurum quid ſignificent, per viſum explicatur.

CUm perceptio mentis, per voces aptiſſime explicetur, ad viſum ſpectantes, quid per *clarum* & *obſcurum* in *ideis* noſtris intelligendum ſit, optime percipiemus, ea animadverſuri, quæ in objectis viſus *clara* dicimus & *obſcura*. Cum Lux ſit illud, quod

quod objecta viſibilia nobis perſpicua reddit, illud dicimus *Obſcurum*, quod in luce haud collocatum eſt clara ſatis, ad rem ita illuſtrandam, ut colores & figura ejus accuratiſſime percipi poſſint, quæque in meliori luce maxime perſpicua forent. Similiter *ideæ noſtræ ſimplices claræ ſunt*, cum tales ſunt, quales ab objectis iſtis, e quibus deſumptæ erant, in ſenſatione aut perceptione rite ordinata repræſentantur. Dum memoria eas hoc modo retinet: & menti, quandocunque opus fuerit, ita exhibere poterit, *claræ ſunt ideæ*. Quatenus vel primævi ſui fulgoris aliquid amiſerunt, aut illarum venuſtas vetuſtate defloruit, eatenus *obſcuræ* ſunt. *Ideæ complexæ*, ut e ſimplicibus fiunt, ita *claræ* ſunt, quando *ideæ* ſunt claræ, e quibus componuntur; atque numerus & ordo *idearum* ſimplicium, e quibus complexa quævis componitur, in mente determinatus eſt & certus.

§. III.

Cauſæ obſcuritatis.

Cauſæ obſcuritatis in *ideis* ſimplicibus, mihi videntur eſſe vel organa obtuſa; vel ſpecies, ab objectis leviſſime in animo impreſſæ; vel memoriæ debilitas, quæ rerum ſpecies non ita, uti accepit, retinere poteſt (*). Ut enim ad viſibilia objecta ite-

(*) *Condillac* idearum obſcurarum denominationem impropriam appellat & ait, quando dicitur aliquem obſcuras ideas habere, debet dici ideas non habere. Sed quando objectum longiſſime video quapropter non internoſco an ſit homo, columna, vel arbor &c. aliquam habeo repræſentationem. Ex alia parte terminus neceſſarius eſt ad hanc debilem repræſentationem diſtinguendam ab ea, quam ejuſdem objecti habeo; quando ad idem accedo, & nomen obſcuræ repræſentationis improptium hac de cauſa minime videtur: *SUAVE*.

iterum redeam, quæ huic rei magnam lucem afferre poſſunt: Si organa, vel facultates percipiendi, ceræ ad inſtar frigore nimis duratæ, haud ſigillum in ſe recipient eodem, quo imprimi ſolet impulſu, ſignatum; vel, ſi hæc organa, mollioris ritu ceræ, bene impreſſum non diu retinent; aut ſi denique, cera recte diſpoſita, annulus non ea vi impellitur, quæ neceſſario requiritur ad Sigillum rite & clare imprimendum; in omnibus hiſce caſibus ſigilli impreſſio non poteſt non eſſe *obſcura*. Quid velim, perſpicuum adeo erit, arbitror; ut ulterius illud explicare, ſupervacaneum videatur.

§. IV.

Diſtinctum & confuſum quid?

UT ea *clara* eſt *idea*, cujus mens completam habet & manifeſtam perceptionem, quæ ita eſt comparata, uti illam accepit ab externo objecto, quod operatur, uti debet, in organo bene ſe habente; ita *idea diſtincta* eſt, quam mens ab aliis omnibus diſtingui percipit; atque *idea confuſa* eſt, quæ ab alia, a qua diverſa eſſe debet, ſatis diſtingui nequit.

§. V.

Objicitur.

DIcet aliquis, Si nulla *idea* ſit *confuſa*, niſi quæ ab alia ſatis diſtingui nequit, a qua diverſa eſſe debeat, tunc difficile erit, ullam *ideam confuſam* reperire: licet enim quædam *idea* eſſe poſſit, haud alia eſſe poteſt; quam quæ a mente eſſe concipitur; atque ipſiſſima iſta perceptio ſatis eam ab aliis omnibus *ideis* diſtinguit, quæ nequeunt eſſe aliæ,

i. e.

i. e. diverſæ, niſi ita eſſe percipiantur. Nulla itaque idea ab alia indiſtincta eſſe poteſt, a qua debet eſſe diverſa, niſi velis forte eam a ſemetipſa diſferre; ab aliis enim omnibus plane diverſa eſt.

§. VI.

Idearum confuſio nomina reſpicit.

HUic objectioni ut occurramus, & concipiamus recte, quidnam illud ſit, e quo idearum confuſio oritur, conſiderandum eſt, res diſtinctis nominibus ſignatas exiſtimari ſatis eſſe diverſas, quæ a ſe invicem ita ſecernantur, ut unaquæque ſpecies proprio nomine notari, &, cum opus fuerit, ſermo de ea ſeorſim haberi poſſit: nec aliud quid magis perſpicuum eſt, quam, quod nominum diverſorum maxima pars cenſeatur vulgo, res diverſas ſignificare. Cum idea unaquæque in mente hominis clariſſima ea eſt, quæ eſt, & ab aliis omnibus ideis, præter ſeipſam, diſtincta, eam *confuſam* eſſe hinc accedit, quando talis nimirum eſt, quæ æque nomine alio, ac eo, quo exprimitur, ſignari poſſit, idque, quoniam nimirum diſcrimen illud, quod efficit, ut res (ſub duobus iſtis nominibus continendæ.) diſtinctæ ſint, utque illarum aliæ ad unum potius, atque aliæ ad alterum iſtorum nominum pertineant, fuerit neglectum; atque ita diſtinctio prorſus amittitur, quam per diverſa iſta nomina conſervare videbantur (143).

§. VII.

(143) Unumquodque individuum habet communes & ſpeciales determinationes; ſi nobis communes determinationes retinemus, vel percipimus, tum de illa ideam confuſam habemus; ſi ſpeciales, ideam diſtinctam.

§. VII.

Vitia, e quibus confuſio oritur. Primo, ideæ *complexæ e ſimplicibus nimis paucis conflatæ.*

Vitia, e quibus confuſio hæc communiter oritur, præcipue puto, ſunt hæc, quæ ſequuntur.

Primo. Cum *idea* quædam complexa (complexæ enim *ideæ* confuſioni maxime ſunt obnoxiæ) *e numero nimis exiguo Idearum Simplicium conficitur*, iiſque tantummodo, quæ communes ſunt rebus aliis; unde evenit, ut diſcrimina iſta omittantur, quæ efficiunt, ut nomen diverſum mereatur. Ita ille, in quo *idea* eſt, e ſimplicibus unde conflata beſtiæ maculis variæ, Leopardi confuſam tantum ideam habet, cum non a Lynce, & aliis quamplurimis beſtiis maculoſis diſtinguatur. Sic ejuſmodi Idea, quanquam nomine particulari *Leopardi* expreſſa, non poteſt eſſe diſtincta ab illis, quæ efferuntur nominibus *Lyncis* aut *Pantheræ*, & illa poteſt eodem jure ſibi vindicare nomen Lyncis, quam nomen Leopardi. Quantum confuſionis & obſcuritatis *idearum* tribuendum ſit conſuetudini voces per communes terminos definiendi, aliis judicandum relinquo (144). Hoc certiſſimum eſt, confuſas *ideas* vocum ſignificationem reddere incertam, & diſtinctorum nominum beneficio nos orbare. Quando *ideæ*, ad quas ſignandas terminos diverſos adhibemus, haud diſcrimen habent, quod diſtinctis illorum nominibus reſpondet, & proinde per illa diſcerni nequeunt, in eo caſu revera ſunt confuſæ.

(144) *V. adn.* 23. *tom.* 2.

§. VIII.

Secundo, aut quando ſimplices ejus ideæ confuſe inter ſe permiſcentur.

SEcundo. Vitium aliud, ex quo *idearum* obſcuritas naſcitur, eſt, quando, etiamſi particulares iſtæ, e *quibus idea* quædam complexa componitur, ſatis multæ ſunt, *confunduntur* tamen ita & inter ſe permiſcentur, ut non facile diſcerni poſſit, utrum magis ad nomen illud, quod tribuitur iſti ideæ, quam ad aliud quoddam, pertineant. Nihil eſt magis idoneum ad confuſionem hanc nobis repræſentandam, quam picturæ quædam, quarum mirabile artificium plurimum celebratur, in quibus colores, prout penicillo in tabula ipſa pinguntur, inconditas valde & novas figuras nobis exhibent, in quarum conformatione ordo nullus cerni poteſt. Tabula hæc, e partibus hoc modo coagmentata, in quibus ſymmetria nulla aut forma conſpicitur, haud magis, in ſe, eſt res confuſa, quam pictura ætheris nebuloſi, in quo etiam colorum, aut figurarum non major ordo reperitur, nemo tamen eam inconditam & confuſam eſſe picturam exiſtimat (145). Unde igitur eſt, cur prior tabula confuſa vocetur, quandoquidem non inde accidit, ut manifeſtum eſt, quod ſymmetriæ expers ſit, quoniam alia pictura ſimpliciter ad ejus ſimilitudinem exacta non appellaretur confuſa? reſpondeo, ideo confuſa eſſe exiſtimatur, quod nomen ipſi applicetur, cujus haud perſpicue magis propria eſt, quam alterius cujuſvis: *v. g.* cum pictura *ho-*

(145) Hinc eſt quod quidquid per ſenſus percipitur, confuſe percipitur, ait Baumeiſterus (*V. inſt. metaph.*) ex eo quia eſt omnimode determinatum.

hominis aut *Cæſaris* eſſe dicitur, tunc, non ſine ratione, confuſa eſſe cenſetur, quoniam haud videtur, in eo ſtatu, ad vocem hominis, aut Cæſaris magis, quam *Cercopitheci*, aut *Pompeji* nomen pertinere; atque hæc cenſetur *ideas* denotare, longe ab iis diverſas, quæ per *hominem*, aut *Cæſarem* ſignificantur (146). At cum tabulæ iſtius lineæ irregulares, per ſpeculum Cylindricum, recte collocatum, ad ordinem, & conformationem ſuam revocantur, tunc confuſio tollitur, atque oculus ſtatim percipit, hanc picturam *hominem* eſſe, aut *Cæſarem*; *i. e.* nominum iſtorum propriam eſſe; eamque a *Cercopitheco*, aut *Pompejo*, hoc eſt ab *ideis*, per nomina iſta ſignatis, ſatis diſcerni poſſe. Haud ſecus ſe res habet in *ideis* noſtris, quæ quaſi rerum ſunt picturæ. Nulla e *mentalibus* hiſce *ſimulacris*, qualitercunque partes coagmententur, confuſa dici poſſunt, (in ſtatu enim quo nunc utuntur, plane percipiuntur) donec ſub communi aliquo nomine comprehendantur; ad quod, haud pertinere quam ad aliud aliquod nomen, cujus ſignificationem penitus diverſam eſſe, omnibus in confeſſo eſt.

§. IX.

Tertio, aut quando mutabiles ſunt & indeterminatæ,

TErtio. Aliud vitium, quod ſæpiſſime in cauſa eſt, cur *ideæ* noſtræ confuſæ denominentur, eſt quando illarum quædam *incertæ* ſunt, & *indeterminatæ*. Ita videmus homines, qui a vocum uſu, in ſer-

(146) Vereor ne hic cum obſcuris confundatur, nam non internoſcere quid ſit, potius obſcure, non confuſe percipitur.

ſermone patrio uſitatarum, nolunt eo uſque abſtinere, quoad certam illarum ſignificationem didicerint, toties fere *ideam* mutare, quam ſub hac aut illa voce intelligunt, quoties eam inter loquendum uſurpant. Hoc qui facit, incertus prorſus, quid ipſi omittendum, quidve inſerendum ſit, in *ideam* ſuam *Eccleſiæ*, aut *Idololatriæ*, quotieſcunque de utravis cogitat, & non cogitatione ſua conſtanter complectitur certam quandam complexionem *idearum*, e quibus coagmentatur, confuſam dicitur *ideam* habere *Idololatriæ*, aut *Eccleſiæ*; idque ob eandem rationem, quæ præcedenti paragrapho dicta eſt, quoniam ſcilicet *idea* mutabilis (ſi dabimus, eam eſſe unam *ideam*) haud ad unum nomen pertinere poteſt; & proinde diſtinctionem amittit, cujus introducendæ gratia nomina diſtincta inventa ſunt.

§. X.

Confuſio, ſine reſpectu ad voces, vix concipi poteſt.

EX iis, quæ dicta ſunt, obſervare licet, quantum *nomina*, quæ, ut ſigna ſunt rerum, diſcrimine ſuo efficere debent, ut res, a ſe penitus diverſæ, a ſe mutuo ſecernantur, in *cauſa* ſint, cur *ideæ diſtinctæ denominentur*, aut *confuſæ*, per tacitum quendam & occultum reſpectum, quo mens *ideas* ſuas ad nomina iſta refert. Hoc, fortaſſe, clarius intelligetur, poſtquam, ea, quæ in Tertio Libro de *Vocibus* dicturus ſum, lecta diligenter & animadverſa fuerunt. Niſi vero ejuſmodi notemus reſpectum *idearum* ad nomina diſtincta, tanquam rerum diſtinctarum ſigna, quid ſit *idea* confuſa, ſtatuere, difficillimum erit. Quare cum quis per nomen aliquod rerum certum genus; aut rem aliquam particularem ſignat,

ſignat, ab aliis omnibus diſtinctam, quo *ideæ* magis ſunt particulares, & quo major & determinatior eſt illarum numerus & ordo, e quibus coagmentatur, eo magis diſtincta eſt *idea* complexa, quæ nomini iſti annexa eſt. Quanto enim majori multitudine particulares has ideas continet, tanto plus habet manifeſtarum differentiarum, quibus ſecernitur ab *ideis* omnibus, ad alia nomina pertinentibus, haud iis exceptis, quæ proxime ad eam accedunt, atque ita obviam itur omni cum iis confuſioni.

§. XI.

Confuſio ad duas ſemper ideas ſpectat.

CUm difficile ſit, res duas ſeparare, quæ ſecerni debent, *Confuſio ad duas ſemper ideas ſpectat*, eaſque maxime, quæ proxime ad ſe invicem accedunt. Cum igitur *ideam* quandam confuſam eſſe arbitramur, ſemper conſiderandum eſt, quænam alia ſit, cum qua periculum eſt, ne confundatur, aut a quanam haud facile ſecerni poſſit, & videbimus, eam ſemper *ideam* eſſe, ad aliud nomen pertinentem, atque ideo res diverſa eſſe debet, a qua tamen haud ſatis adhuc diſtinguitur; cum vel eadem ſit cum ea, aut pars iſtius, aut ſaltem, cui nomen illud non minus convenit, quam quo altera denotatur, & proinde haud inter eam & aliam iſtam *ideam* tantum eſt, quantum inter ea nomina, diſcrimen.

§. XII.

Cauſæ Confuſionis.

HÆc, puto, confuſio eſt *idearum* propria; quæ tacitum in ſe reſpectum ad nomina includit. Saltem ſi alia quædam eſt *idearum* confuſio, hæc eſt præcipua, quæ permiſcet inter ſe & confundit cogitationes & ſermones hominum: *ideæ* enim quatenus nominibus efferuntur, maxima ex parte ea ſunt, de quibus homines tacite ſecum in mentibus differunt, & de quibus ſemper cum aliis ſermocinantur. Quare ubi diverſæ duæ *ideæ* eſſe concipiuntur, diverſis duobus nominibus ſignatæ, quæ nequeunt æque facile a ſe invicem ſecerni, ac ſoni ipſi, quibus illæ indicantur, ibi ſemper, confuſionem eſſe, neceſſe eſt. Atque e contrario, ubi *ideæ* duorum ſonorum, quibus ſignantur, ibi inter eas nulla *confuſio* eſſe poteſt. *Ut hanc devitemus confuſionem*; ea omnia, quoad ejus fieri poteſt, præciſe, in complexam *ideam* noſtram congerenda ſunt, per quæ ab aliis omnibus ſecernitur; atque iis, numero & ordine determinato ita unitis, nomen idem conſtanter tribuendum eſt. Cum vero hoc neque ad ſocordiam, neque vanitatem hominum, neque ad alios quoſdam, præterquam nudæ veritatis detegendæ & defendendæ, uſu accommodatum ſit, quæ non ſemper finis eſt ab omnibus deſtinatus, idcirco tanta accuratio optanda magis, quam ſperanda eſt. Et quoniam vaga iſta & ſoluta ratio nomina incertis, mutabilibus & pene nullis *ideis* imponendi, conducit partim ad inſcitiam noſtram occultandam, partim ad aliorum intelligentiam confundendam, id quod eruditio vulgo & ſcientiæ præſtantia habetur, haud mirum eſt, pleroſque omnes ejuſmodi vocum uſum inducunt, quem tamen in aliis reprehendunt. Etiamſi vero in ea opinio-

nione ſum, haud exiguam partem obſcuritatis & confuſionis iſtius, quæ in notionibus hominum reperitur, ſolertia & puritate, in loquendo adhibita devitari poſſe; longe tamen abſum, ut eam ubique voluntariam & affectatam eſſe putem. *Ideæ* quædam complexæ adeo ſunt, & ex tot partibus conſtant, ut memoria haud facile eandem prorſus *idearum* ſimplicium combinationem ſub uno nomine retinere poſſit; multo minus conjectare ſemper poſſumus, pro quanam *idea* complexa præciſe certum aliquod nomen ab alio uſurpetur. Ex horum priori ſequitur confuſio in propriis noſtris opinionibus & ratiociniis, quæ in nobiſmet ipſi formamus; ex poſteriori ſæpe confuſio naſcitur in noſtro ſermone & diſceptatione cum aliis. Cum vero de Vocibus, atque illarum defectu & abuſu, in Libro ſequenti fuſius tractatum ſit, nihil hic amplius addam (147).

§. XIII.

Complexæ ideæ in una parte diſtinctæ, in altera confuſæ eſſe poſſunt.

Cum *ideæ* noſtræ *complexæ* e collectionibus, & proinde ex varietate magna ſimplicium idearum contexantur, poſſunt eſſe in *una parte valde claræ & diſtinctæ*, *& obſcuræ admodum confuſæque in altera*. In eo, qui de *Chiliaedro* loquitur, ſive corpore mille laterum, figuræ *idea* valde confuſa eſſe poteſt, etſi idea numeri valde ſit diſtincta; quare cum poſſit ille de parte ea *ideæ* complexæ differere,

(147) Oritur quoque confuſio ex attentione non præſtita. Hinc affatum philoſophicum, *ideæ ex obſcuris claræ, ex confuſis diſtinctæ attentione fiunt*.

quæ ad numerum mille attinet, credere ſolet, ſe *Chiliaedri* diſtinctam habere *ideam*; etiamſi manifeſtum ſit, ſe figuræ iſtius haud definitam habere *ideam*, per quam poſſit eam a figura diſtinguere 999 laterum. Atque ex eo, quod hoc parum animadverſum eſt, haud mediocris error in cogitationibus hominum, & confuſio in ſermone orta eſt.

§. XIV.

Hoc niſi animadvertatur, in ratiociniis noſtris confuſio oritur.

SI quis putet, ſe diſtinctam habere *ideam* figuræ *Chiliaedri*, vellem, ut, experimenti gratia, partem aliam ſumeret materiæ ejuſdem uniformis, auri nimirum, aut ceræ, ejuſdem magnitudinis, & ex ea figuram efficeret 999 laterum. Poterit, nullus dubito, duas haſce *ideas* per laterum numerum a ſe invicem diſcernere; & diſtincte de diverſis illarum proprietatibus diſſerere, dum ſuas cogitationes & ratiocinia ſua in eam tantum *idearum* iſtarum partem figet, quæ in illarum numeris continetur; uti, latera unius poſſe in duos æquales numeros dividi, alterius vero non item, &c. Si vero eas a ſe invicem per figuram illarum ſecernere velit, ſtatim in errore verſabitur, nec reperiet, opinor, quomodo in animo duas *ideas* effingat, quarum una per nudam figuram harum auri portionum ab altera diſtinguatur; prout reperiret, ſi ex auri portionum iſtarum una Cubus, ex altera figura quinque laterum fieret. Ceterum in his incompletis *ideis* nos nobiſmet ipſi imponere, & vanas cum aliis altercationes ſuſcipere ſolemus, præſertim ubi particularia iſtæ habent nomina, & quæ maxime ſunt uſu cognita[a]. Cum enim in ea parte *ideæ* acquieſcamus, quam claram habemus; cum-

cumque vox, quæ nobis familiaris eſt, toti ideæ applicetur, eam etiam partem complectenti, quæ imperfecta eſt & obſcura, quotidianum eſt nobis, eam pro parte iſta confuſa uſurpare, & conſequentias a parte obſcura ſignificationis ejus, non minori fiducia, quam ab altera, colligere..

§. XV.

Exempla ab æternitate deſumpta.

CUm vocem *Æternitatis* in ſermone frequenter uſurpemus, exiſtimamus, nos poſitivam habere iſtius *ideam* & adæquatam, quod perinde eſt, ac ſi diceremus, nullam eſſe durationis iſtius partem, quæ in *idea* noſtra haud clare contineatur. Fateor quidem, poſſe eum, qui cogitatione hanc rem ita informat, claram habere durationis *ideam*; addo etiam, *ideam* quam maximæ longitudinis durationis; addo inſuper, & *ideam* claram collationis maximæ iſtius longitudinis, cum majori adhuc: cum vero haud poſſibile ſit ipſi, intra *ideam* ſuam durationis, qualitercunque ſit vaſta, ſimul includere totum durationis ambitum, quam fine carere cenſet, idcirco *idea* pars iſta, quæ ultra terminos ingentis iſtius durationis adhuc patet, quam animo ſibimet effingit, admodum obſcura eſt & indeterminata. Hinc eſt, quod, cum de æternitate, aut alio quodam *Infinito* diſputamus, vocibus utamur abſonis & extra modum abſurdis (148).

§. XVI.

(148) *V. adn.* 79. *tom.* 2.

§. XVI.

Aliud exemplum a Materiæ Diviſibilitate petitum.

IN Materia haud claras habemus *ideas* parvitatis partium, minimis multo adhuc minorum, quæ cuidam ſenſuum noſtrorum obviæ eſſe poſſint: cum itaque loquimur de *Materiæ Diviſibilitate in infinitum*, etiamſi claras habeamus *ideas diviſionis* & *diviſibilitatis*, nec non & partium, per diviſionem e toto reſilientium; non niſi obſcuras tamen valde, & confuſas *ideas* habemus corpuſculorum ita dividendorum, cum, per priores diviſiones, ad tenuitatem redacta ſint, minorem multo, quam quæ ab ullo noſtrorum ſenſuum percipi poſſit. Omne igitur illud, de quo claras habemus & diſtinctas *ideas*, de eo tantummodo eſt, quod diviſio in genere, aut per abſtractionem eſt, & relatio *Totius* & *Partis*. De mole vero corporis, quatenus poſt certas progreſſiones infinite hoc modo dividi poteſt, nullam, puto, omnino claram habemus & diſtinctam *ideam*. Rogo enim, utrum, ſi quis minimam, quam unquam viderit, ſumat pulveris atomum, diſtinctam aliquam ideam percipiat (numero tantum excepto, qui ad extenſionem haud ſpectat) inter 100, 000mam, & 1, 000, 000mam partem atomi iſtius? Aut ſi forte putet, ſe *ideas* ſuas tenues adeo & ſubtiles reddere, & tamen conſpectum harum duarum particularum ſimul retinere, poſſe; tunc, quæſo, ciphras decem ad ſingulos hoſce numeros addat. In eo caſu haud propius accedent ad infinitæ diviſionis terminum, quam prius erant. Ipſemet quidem ingenue fateor, me non claras, & diſtinctas *ideas* habere diverſæ molis, ſive extenſionis corporum iſtorum, cum alterutrius ſeorſim ſumti & in ſe conſiderati, non niſi maxime obſcuram *ideam* habeam. Quare, puto, cum loquimur de

de diviſione *corporum in infinitum* , *ideam* noſtram diſtinctæ molis aut extenſionis illorum , quæ ſubjectum eſt & fundamentum diviſionis , confundi poſt exiguam progreſſionem & in profunda obſcuritate fere prorſus amitti . Neceſſe enim eſt , ut *idea* , qua magnitudo tantum repræſentanda eſt , obſcura admodum & confuſa ſit , quia illam ab idea corporis , decies majoris , aliter , quam per numerum , diſtinguere non poſſumus ; ut ideo dicere fas ſit, non claras habere *ideas* diſtinctas *decem* & *unius* , neutiquam vero duarum æqualium extenſionum . Hinc patet , cum de corporis , aut extenſionis infinita diviſibilitate loquimur , diſtinctas noſtras & claras *ideas* numerorum tantummodo eſſe ; claras vero , & diſtinctas ideas extenſionis , poſt progreſſionem aliquam in dividendo , penitus amitti , atque nos ejuſmodi minutarum particularum , nullam omnino *ideam* diſtinctam habere ; adeo , ut tandem hæ ideæ , prout ſit in omnibus *ideis* noſtris infiniti , ad *ideam* perveniant numeri , continuæ additionis capacis ; nunquam vero ad *ideam* diſtinctam partium actu infinitarum . Habemus , fateor , claram diviſionis *ideam* , quotieſcunque de ea cogitare lubet ; at non exinde magis habemus *ideam* claram partium in materia infinitarum , quam numeri infiniti propterea habemus , quod in noſtra poteſtate ſit , ad numerum quemvis aſſignatum & menti noſtræ præſentem novos ſemper numeros addere : *diviſibilitas* enim *infinita* haud magis nobis exhibet claram diſtinctamque *ideam* partium actu infinitarum , quam *infinita addibilitas* (ſi modo ita loqui liceat) numeri actu infiniti : utrumque enim non niſi facultas eſt , idonea ad recipiendam perpetuam numeri acceſſionem , utcunque numerus iſte jam immenſus ſit . Iſtius igitur, quod addendum ſupereſt , (in quo infinitas conſiſtit ,) non niſi obſcuram , imperfectam , & confuſam *ideam* habe-

be-

bemus ; (149) de qua haud certo aut clare argumentari aut diſſerere magis , quam in Arithemetica de numero poſſumus , cujus non talem ideam diſtinctam , qualem τῦ *quatuor* aut *centum* habemus ; verum hanc tantummodo relationem obſcuram , quod hic numerus alteri cuivis comparatus , ſemper adhuc major ſit : neque enim magis habemus claram & poſitivam iſtius *ideam* , cum dicimus , aut exiſtimamus, illum majorem eſſe , ac 400, 000, 000, quam ſi diceremus , eum majorem eſſe , ac 40 , aut 4 : cum 400 , 000 , 000 , non propriorem habeat proportionem ad terminum additionis , aut numeri , quam 4. Qui enim tantum 4 addit ad 4 , atque ita addendo pergit , æque cito ad omnis additionis finem perveniet , ac ille , qui addit 400 , 000 , 000 ad 400 , 000 , 000 . Ita etiam in *æternitate* eſt : qui *quatuor* tantum annorum *ideam* habet , non minus poſitivam habet & completam *ideam* æternitatis , quam ille , qui *ideam* habet 400, 000 , 000 annorum : quod enim reliquum eſt æternitatis ultra horum utrumvis annorum numerum , uni æque clarum eſt ac alteri ; hoc eſt , neuter illorum ullam habet claram iſtius *ideam* poſitivam. Profecto, qui tantum 4 ad 4 addit & ita continuat , eadem celeritate ad Æternitatem pertinget, qua is, qui addit 400 , 000 , 000 annos & ſic porro , aut qui, ſi illud a propoſito non alienum deprehendit , toties duplicat productum , quoties ipſi libuerit : abyſſus , quæ replenda adhuc reſtat , ſemper in tantum omnium harum progreſſionum finem exuperat : in quantum unius diei aut horæ longitudinem tranſgreditur . Nihil enim finitum proportionem ullam habet ad infinitum ; ergo nec ideæ noſtræ , quæ

(149) *V. adnot. 76. 77. 78. tom. 2.* & quod ibidem inquit Auctor.

quæ prorſus finitæ ſunt. Haud ſecus ſe res habet in *idea* noſtra *extenſionis*, quando per additionem amplificamus eam, perinde ac per diviſionem extenuamus, & cogitationes noſtras ad ſpatium infinitum concipiendum extendere volumus. Poſt paucas iterationes *idearum* iſtarum extenſionis, quæ omnium, quibus alias uti ſolemus, ampliſſimæ ſunt, claram diſtinctamque *ideam* ſpatii iſtius amittimus; in extenſionem immenſam excreſcit, quam confuſe concipimus, cum reſiduo extenſionis additamento majoris adhuc; de qua quoties ratiocinari & diſſerere voluerimus, nos in errore ſemper verſari & extra oleas vagari deprehendemus; confuſæ enim ideæ, quoties diſſerimus, aut ab iis quippiam deducimus, nos in errorem obſcuritatemque abripiunt.

CAP. XXX.

De Ideis Realibus & Fictis.

§. I.

Ideæ reales Archetypis ſuis conformes ſunt.

PRæter ea, quæ ante memoravi, circa *ideas*, alia quædam ſunt conſideranda, quatenus nimirum ad res referuntur, e quibus oriuntur, quaſve repræſentare concipi poſſunt; hoc modo triplici diſtinctione conſiderantur, & ſunt

Primo, Reales aut Fictæ.

Secundo, Adæquatæ aut Inadæquatæ.

Tertio, Veræ aut Falſæ.

Primo. Per ideas Reales, eas intelligo, quæ fun-

da-

damentum habent in natura; quæ eſſentiæ, & exiſtentiæ rerum, aut illarum Archetypis, congruunt. *Fictas* ſive *Chimæricas* eas appello, quæ nullum in natura fundamentum habent, nec aliquo modo conformantur entibus iſtis realibus, ad quæ tacite, tanquam ad Archetypa ſua, referuntur. Si memorata ſuperius varia idearum genera examinemus, videbimus (150).

§. II.

Simplices ideæ omnes ſunt reales.

PRimo, *Simplices ideas noſtras omnes eſſe reales, & rerum veritati convenire*. Non, quod omnes imagines ſint, aut ſimulacra rerum realiter exiſtentium, cujus contrarium, in his ideis omnibus, exceptis corporum *qualitatibus primis* (*), ante demonſtratum eſt. Etiamſi vero *albedo* & *frigiditas* haud magis inſunt in nive, quam *dolor* eſt; ideæ tamen iſtæ *albedinis*, *frigiditatis*, *doloris &c.* cum in nobis effectus ſint Potentiæ in rebus externis, a Creatore noſtro deſtinatis ad certas quaſdam ſenſationes in nobis ſuſcitandas, in nobis reales ſunt *Ideæ*, quibus Qualitates diſtinguuntur, quæ in rebus ipſis realiter exiſtunt. Cum enim variæ iſtæ ſpecies, nobis obverſantes, tanquam indicia quædam ſtatuantur, quibus res iſtæ, quæ uſu veniunt quotidiano, a ſe invicem diſtingui poſſint; *ideæ* noſtræ, etiamſi non niſi effectus conſtantes ſint, aut expreſſæ alicujus rei imagines, quæ ſita eſt in rebus ipſis, æque tamen

(150) *V. adn.* 24 *tom.* 1.

(*) *Vid. ſupra Cap. VIII.* §. 9. 10. *ſeqq. uſque ad capitis finem.*

tamen ad illud conducunt, & nihilominus notæ ſunt, quibus res dijudicantur: harum enim idearum) veritas conſiſtit in perpetua & æquabili congruentia cum diſtinctis Entium realium conſtitutionibus. Nihil vero refert, utrum conſtitutionibus iis reſpondeant, tanquam cauſis aut exemplaribus, ſatis eſt, eas conſtanter ab iis produci. Hoc modo ſimplices noſtræ *ideæ* omnes reales ſunt & veræ, quoniam rerum potentiis iis reſpondent, a quibus in mente noſtra producuntur; præter hoc enim nihil aliud requiritur, ut Entia realia, non mentis figmenta vocemus. In ſimplicibus enim *ideis*, (ut oſtenſum eſt,) mens prorſus coarctatur ad operationes, quas in ipſam ſuſcipiunt; nec *ideam* ullam ſimplicem, quam non aliunde nacta eſt, ſibimet effingere poteſt.

§. III.

Ideæ complexæ ſunt combinationes voluntariæ.

Etiamſi intellectus, *idearum* ſimplicium reſpectu, ſit pure paſſivus: reſpectu tamen complexarum idem dici nequit. Cum enim illæ poſteriores combinationes ſint *idearum* ſimplicium ſub uno generali nomine unitarum: perſpicuum eſt, complexarum *idearum* iſtarum formationem ex intellectus humani arbitrio aliquo modo pendere. Unde alias eveniret, ut *auri*, aut *juſtitiæ idea* in uno, ab ea diſcreparet, quæ eſt in alio: niſi, quia unus in complexa ſua de his duabus rebus idea ſimplicem aliquam *ideam*, quam non item alius, adjecit aut omiſit. Quæſtio itaque eſt, quænam ex hiſce reales ſint, quænam imaginariæ tantum complexiones: quæ collectiones rerum veritati conveniant, quæ non? ad hæc reſpondeo.

§. IV.

§. IV.

Modi mixti conflatæ ex ideis, haud inter ſe pugnantibus, ſunt reales.

SEcundo, Cum *Modi mixti & Relationes*, nullam habeant realem exiſtentiam, niſi in mentibus hominum, ad genus illud *idearum* nihil aliud requiri, ut reales fiant, niſi ut ita formentur, quo potentia ſeu poſſibilitas ſic exiſtendi iis congruat. Hæ *ideæ*, cum ipſæmet Archetypæ ſint, nequeunt ab exemplaribus ſuis differre, & proinde non poſſunt eſſe *chimæricæ*, niſi quis forte pugnantes inter ſe *ideas* iis aſſociare velit. Equidem cum hæ ideæ vocabula in linguis vulgaribus nota & uſitata habeant, quæ ipſis aſſignantur, quibus alter ideas, quas in mente habet, aliis exponere poteſt, nuda exiſtendi poſſibilitas haud ſufficit; neceſſe eſt, ut vulgari ſignificationi nominis, ipſis impoſiti, conveniant, ne propter novitatem abſurdæ videantur: ut, ſi quis *Juſtitiæ* nomen *ideæ* iſti tribueret, quæ in communi uſu *Liberalitas* dicitur. Hæc vero novitas linguæ proprietatem magis ſpectat, quam *idearum* realitatem. Hominem, inſtante periculo sine timore eſſe, quid fieri expediat, ſedato animo proſpicere, atque illud ſtrenue & conſtanter exequi, Modus eſt mixtus, ſive *idea* complexa actionis, quæ exiſtere poteſt. Ut vero quis in diſcrimine trepidet & perturbetur, ſine ullo ſuæ rationis, ſine roboris & induſtriæ uſu, eſt res pariter poſſibilis, & conſequenter hand minus realis eſt *idea*, quam ſuperior iſta. Ceterum harum prima, cum ſemel communi conſenſu *fortitudinis* nomen ipſi ſit tributum, nominis iſtius reſpectu, conſentanea aut diſſentanea *idea* eſſe poteſt: altera vero, quamdiu communi & in lingua quadam nota uſitato nomine caret, diſſentanea eſſe nequit, quoniam non niſi ad ſeipſam refertur.

§. V.

§. V.

Subſtantiarum ideæ *ſunt reales*, *quando cum rerum exiſtentia congruunt*.

TErtio. Complexæ noſtræ *ideæ ſubſtantiarum*, cum univerſæ referantur ad res extra nos exiſtentes, atque ideo fiunt, ut ſubſtantias repræſentent; prout revera ſe habent, eatenus tantum *reales* ſunt, quatenus complexiones ſunt *idearum* ſimplicium, quæ realiter uniuntur, & in rebus extra nos coexiſtunt. Contra, iſtæ *commentitiæ* fictæque ſunt, quæ fiunt e collectionibus *idearum* ſimplicium, quales unitæ nunquam, aut in ſubſtantia ulla ſimul repertæ ſunt; ejuſmodi eſt, Animal rationale, conſtans e capite equino, corpore vero forma humana vel tali, qua repræſentamus *Centauros*, prædito: Aut corpus flavum, valde ductile, fuſile, & fixum; quavis autem aqua levius: Aut uniforme, inorganicum corpus, ſi de eo ex ſenſibus judicamus, partibus omnino conſtans ſimilaribus, cum perceptione & motu voluntario iſti annexo. Utrum hujuſmodi ſubſtantiæ exiſtere poſſint nec ne, nos neſcire, probabile eſt: utcunque vero res iſta ſe habeat, hæ ſubſtantiarum *ideæ*, cum nulli, quod novimus, ullibi exiſtenti exemplari conformentur; cumque ex *idearum* collectionibus conſtent, quales nunquam vidimus in ulla ſubſtantia ſimul unitas, pro *imaginariis* plane & *commentitiis* haberi debent: multo magis *ideæ* iſtæ complexæ iſto in numero recenſendæ ſunt, quæ repugnantiam, aut partium inter ſe contradictoriarum compoſitionem aliquam in ſe continent.

C A P. XXXI.

De Ideis Adæquatis & Inadæquatis.

§. I.

Ideæ adæquatæ ſunt, quæ Archetypas ſuas perfecte ræpreſentant.

EX *Ideis* noſtris realibus, quædam *adæquatæ* ſunt, quædam *inadæquatæ*. *Adæquatas* voco, quæ exemplaria iſta perfecte referunt, unde eæ deſumtæ, & illa repræſentantes concipiuntur, & ad quæ a mente reducuntur. *Ideæ inadæquatæ* ſunt, quæ Archetypas iſtas, ad quas referuntur, incomplete & ex parte tantum ræpræſentant. Hinc patet (151).

§. II.

Simplices ideæ omnes ſunt adæquatæ.

PRimo, *Omnes ideas noſtras ſimplices eſſe adæquatas*. Quoniam, cum nihil ſint præter effectus potentiarum quarundam in rebus, quas *Deus* congruentes & aptas fecit ad certas quaſdam ſenſationes in nobis producendas; non poſſunt non reſpondere, & adæquatæ eſſe potentiis iſtis: & nos certo ſcimus, eas rerum veritati convenire. Si *ſaccharum* enim *ideas*

(151) A nonnullis adæquatæ dicuntur, quando non ſolum notas rei internoſcimus, verum etiam harum notarum characteres.

ideas in nobis producit, quas nos *albedinem* vocamus, & *dulcedinem*, extra dubium habemus, eſſe in ſaccharo potentiam ad *ideas* iſtas in mente noſtrá producendas, alioquin haud productæ fuiſſent. Atque ita, cum ſenſatio unaquæque potentiæ reſpondeat, in quendam e ſenſibus noſtris operanti, quæ producitur idea, realis eſt *idea*, (non mentis figmentum, quæ nullo modo ſimplicem quandam *ideam* in ſe producere poteſt, uti jam docuimus:) atque nequit non eſſe adæquata, cum iſti tantummodo potentiæ congruere debeat: atque ita *ſimplices omnes ideæ ſunt adæquatæ*. Fateor equidem, non niſi paucas admodum e rebus, ſimplices haſce *ideas* producentibus, perinde a nobis denominari, quaſi ſolæ illarum cauſæ eſſent; verum quaſi *ideæ* iſtæ entia eſſent realia in illis. Etſi enim ignis tactui moleſtus eſſe dicatur, quo potentia ſignificatur doloris *ideam* in nobis ſuſcitandi: attamen denominatur etiam *lucidus*, & *calidus*; quaſi lux, & calor, realiter aliquid eſſent in igne, præter potentiam *ideas* iſtas in nobis excitandi; ideoque qualitates ignis, aut in igne eſſe dicuntur. Cum vero hæ revera nihil aliud ſint, præter potentias tales *ideas* in nobis excitandi, in eo ſenſu intelligi velim, quo de *ſecundis qualitatibus* loquor, tanquam rebus ipſis inhærentibus; aut de illarum *ideis*, tanquam exiſtentibus in objectis, a quibus in nobis excitantur. Ejuſmodi loquendi formulæ, etſi ad vulgarem popularemque ſenſum accommodatæ, ſine quo, non niſi difficulter admodum quis intelligi poſſit, realiter nihil denotant, præter potentias in rebus exiſtentes ad certas quaſdam ſenſationes aut *ideas* in nobis ſuſcitandas. Quoniam, ſi nulla eſſent organa idonea ad ea recipienda, quæ ab igne in *viſum* & *tactum* imprimuntur, neque mens organis iſtis eſſet conjuncta, ad *lucis* & *caloris ideas*, per impreſſiones iſtas ab igne aut ſole factas, recipien-

das, non plus lucis, aut caloris in mundo, quam doloris foret, ſi nulla eſſet creatura ſenſu prædita ad percipiendum iſtum, etiamſi Sol in eo, quo nunc eſt, ſtatu ſemper maneret, atque mons *Ætna* flammas altius & vehementius, quam unquam, eructaret. *Soliditas*, & *extenſio*, &, quæ illius terminatio eſt, *figura*, una cum *motu* & *quiete*, quorum *ideas* habemus, prout nunc, realiter in mundo exiſterent, ſive animal aliquod eſſet ſenſu præditum ad ea percipienda, nec ne: hæc itaque ſpectari debent tanquam reales materiæ modificationes; & cauſæ variarum ſenſationum, quibus a corporibus afficimur. Cum vero hæc non hujus loci diſquiſitio ſit, non diutius in ea morabor, verum oſtendere pergam, quænam *ideæ* complexæ adæquatæ ſint, & quæ non ſint.

§. III.

Modi omnes ſunt adæquati.

SEcundo. *Complexæ* noſtræ *Modorum ideæ*, cum voluntariæ collectiones ſint *idearum* ſimplicium, quæ per mentem conjunguntur, ſine reſpectu ad reales Archetypos, aut perpetua quædam & certa exemplaria, alicubi exiſtentia, *ſunt*, & quidem non poſſunt non eſſe *ideæ adæquatæ*. Cum enim non illæ uſurpentur pro Entium exemplaribus realiter exiſtentium, verum pro Archetypis, quos in eum finem mens effingit, ut iis utatur in denominandis rebus, & ſub certis claſſibus collocandis, nullo modo mutilæ eſſe poſſunt; cum ſingulæ iſtam *idearum* complexionem, & proinde perfectionem habeant, quam mens iis ineſſe voluit: quare in illis acquieſcit, nec, quo minus completæ dicantur, aliquid deeſſe videt. Ita si habeo *ideam* figuræ trium laterum, tres angulos

gulos conſtituentium, completam habeo *ideam*, ad cujus perfectionem nihil amplius requiritur. *Ideæ* hujuſce perfectionem ſatis animo facere, ex eo patet, quod non arbitretur, intellectum ullum habere, aut poſſe habere magis adæquatam perfectamve *ideam* rei per vocem *trianguli* ſignificatæ, ſuppoſito, quod hæc exiſtat; quam ipſemet habet in complexa iſta *idea* trium laterum, & trium angulorum, in qua omnia continentur, quæ ad eſſentiam ideæ iſtius, aut adæquatam integritatem neceſſario requiruntur. In noſtris vero ſubſtantiarum *ideis*, res aliter ſe habet. Per has enim ideas rerum exemplaria ita informare volumus, prout realiter exiſtunt, cupienteſque nobiſmet compoſitionem & conſtitutionem iſtam repræſentare, in qua illarum proprietates omnes fundantur, experimur haud eam, quam cupimus, *ideis* noſtris perfectionem ineſſe; videmus ſemper aliquid ulterius in ipſis deſiderari, quod, ſi aſſequeremur, maxima nos afficeret lætitia; ac proinde omnes inadæquatæ ſunt. Cum vero *Modi mixti* & Relationes, Archetypi ſint ſine ullo exemplari, atque idcirco nihil habeant, quod repræſentent, præterquam ſemet, non poſſunt non eſſe adæquata, unumquodque enim ſibimetipſi adæquatum eſt. Qui primus ſimul junxit *ideam* periculi percepti, vacuitatem perturbationis omnis ex metu coortæ, ſedatam conſiderationem iſtius, quod fieri par eſt, atque impavidam executionem inſuper, habuit certe in animo complexam *ideam* ex adunatione iſta coagmentatam: cumque eam nihil aliud eſſe, quam quod eſt; nec plures eam, quam continet, ideas ſimplices continere voluerit, non potuit etiam non eſſe *idea* adæquata: cumque eam memoriæ mandaſſet, una cum *fortitudinis* nomine, quo aliis eam ſignificaret, atque inde actionem omnem denominaret, quam cum illa convenire animadverteret, ita na-

ctus eſt exemplar ad actiones menſurandas, &. juxta congruentiam cum eo, denominandas. *Idea* hæc ita fabricata, & pro exemplari in memoria recondita; neceſſario erit adæquata, cum non niſi ad ſe ipſam referatur, neque juxta aliud præſcriptum aut aliam formulam fiat, nec aliam agnoſcat originem, quam illius arbitrium, a quo complexio iſta primum facta fuit.

§. IV.

Nominum certorum reſpectu Modi poſſunt eſſe inadæquati.

FIeri quidem poteſt, ut alius poſtea, qui in ſermone familiari nomen *fortitudinis* ab eo didicit, ideam effingat, cui etiam idem *fortitudinis* nomen imponat, diverſam longe ab ea, quam primus auctor hoc nomine denotat, aut in animo habet, cum voce iſta utitur. Atque in hoc caſu, ſi velit *ideam* ſuam in cogitando conformem eſſe illius *ideæ*, a quo eam didicit, prout nomen, quo utitur, in ſono convenit illius nomini, a quo illud percepit, fieri poteſt, ut idea maxime falſa ſit & inadæquata. Quoniam in hoc caſu, cum *ideam* alterius hominis exemplar ſuæ ipſius ideæ in cogitando, prout alterius ſonum, vocis exemplar ſuæ in loquendo, eſſe velit, propria ipſius *idea* eatenus manca eſt & inadæquata, quatenus ab Archetypo & exemplari diſtat, ad quod refertur, quodque per nomen iſti impoſitum vult exprimere: quo nomine alterius *ideam*, (cui ideæ in proprio & uſu primario hoc nomen annectitur), ſuamque ipſius, tanquam ipſi congruentem, ſignandam eſſe ſtatuit: cui ſi haud ex omni parte ipſius idea reſpondeat, vitioſa eſt & inadæquata.

§. V.

§. V. Hæ itaque *Modorum ideæ complexæ*, quando per mentem referuntur ad *ideas* in animo alterius alicujus Entis Intelligentis, nominibus ſignatas a nobis impoſitis, mutilæ valde, vitioſæ, & inadæquatæ eſſe poſſunt; quoniam haud conveniunt cum iſto, quod mens Archetypum ipſis & exemplar eſſe præſtituit: in quo tantum reſpectu, Modorum *idea* quædam erronea, imperfecta & inadæquata eſſe poteſt. Atque hinc eſt, quod *ideæ* noſtræ *Modorum mixtorum*, præ aliis omnibus, errori ſint obnoxiæ: hoc vero proprietatem linguæ magis, quam rectam cognitionem ſpectat.

§. VI.

Subſtantiarum ideæ, *quatenus referuntur ad reales eſſentias, non ſunt adæquatæ.*

TErtio. *Quaſnam ſubſtantiarum ideas habeamus* (*), ſuperius oſtendi: *ideæ* iſtæ duplicem in mente reſpectum habent. 1. Nonnunquam referuntur ad exiſtimatam realem eſſentiam ſingularum ſpecierum Entium. 2. Nonnunquam ſumuntur tantum pro picturis & repræſentationibus in animo, rerum exiſtentium, per qualitatum iſtarum *ideas*, quæ in iis percipi poſſunt. In utroque reſpectu Archetyporum iſtorum ectypa hæc, imperfecta ſunt & *inadæquata*.

Primo, Familiare eſt hominibus, ſubſtantiarum nomina conſiderare, tanquam res, quæ exiſtimantur certas quaſdam reales eſſentias habere, per quas hujus ſunt aut iſtius ſpeciei: (152) cumque nomina pro *ideis* tantummodo in mentibus hominum ponantur,

(*) *Conf. ſupra Cap. XXIII. §. 1. 2.*

(152) En Error Lockii. (*V. Medit. noſtram in Lockium*).

conſequenter referant neceſſe eſt *ideas* ſuas ad reales iſtiuſmodi eſſentias, tanquam ad Archetypos ſuos. Homines (eos præſertim, qui eruditione fuerunt imbuti, quæ in ſcholis noſtris uſu venit,) ſupponere ſpecificas quaſdam ſubſtantiarum eſſentias, quibus unumquodque individuum in ſuo cujuſque genere conformetur, & de iis participet, tantum abeſt, ut probationis indigeat, ut potius mirum videatur, ſi quis noſtrum ab hac methodo recedere vellet. Ita uſitatum eſt, nomina ſpecifica, ſub quibus particulares ſubſtantiæ collocantur, rebus tribuere, quatenus per ſpecificas iſtiuſmodi eſſentias, quas realiter exiſtere ſupponimus, diſtinguuntur. Quotuſquiſque eſt, qui non ægre ferret, ſi quis dubitaret, an alia de cauſa is ſe hominem appellaret, quam quod hominis reali eſſentia præditus ſit? Si tamen interrogaveris, quænam ſint reales iſtæ eſſentiæ, certiſſimum eſt, homines in illarum ignoratione plane verſari. Unde ſequitur, tantum abeſſe, ut *ideæ* iſtæ in animis, ad reales eſſentias relatæ, tanquam ad Archetypos incognitos, *adæquatæ* ſint, ut illas repræſentare haudquaquam concipi poſſint. Complexæ noſtræ ſubſtantiarum ideæ *ſunt*, ut demonſtratum eſt, collectiones certæ *idearum* ſimplicium, quas ſimul ſemper exiſtere animadverſum eſt. Iſtiuſmodi vero *idea* complexa nullius ſubſtantiæ realis eſſentia eſſe poteſt; tunc enim proprietates, quas in corpore iſto cernimus, e complexa iſta *idea* penderent, & ab ea colligerentur, & neceſſaria illarum connexio cum ea nota foret; quemadmodum trianguli attributa omnia pendent ex *idea* complexa trium linearum ſpatium includentium, & , quatenus cognitæ ſunt, ab ea inferuntur. Palam vero eſt, in *ideis* noſtris complexis ſubſtantiarum haud contineri *ideas* iſtiuſmodi, e quibus, quæ in ſubſtantiis reperiuntur, omnes aliæ qualitates pendeant, *v. g. Ferri idea* vulgaris, eſt corpus certi cujuſdam coloris, ponderis,

ris, & duritiei; atque proprium iſtius attributum *ductilitas* eſſe cenſetur. Attributum tamen hoc haud cum *idea* iſta complexa, nec cum parte aliqua iſtius neceſſariam connexionem habet: nec major eſt ratio, cur credamus, ductilitatem e colore iſto, pondere, & duritie, quam colorem aut pondus iſtud e ductilitate aut duritie ejus pendere. Quamvis vero eſſentias haſce reales plane ignoremus, nihil tamen hominibus magis familiare eſt, quam diverſa rerum genera iis tribuere. Communis opinio eſt, portionem iſtam materiæ, e qua annulus conſtat, quem in digito habeo, realem habere eſſentiam, per quam *aurum* eſt; atque inde qualitates iſtas fluere, quæ ibi reperiuntur, nimirum peculiaris iſtius color, pondus, durities, *fuſibilitas*, *fixitas*, uti Chymici loquuntur, atque coloris ſubita iſtius mutatio poſt vivi argenti tactum leviſſimum, &c. Eſſentiam hanc, unde omnes hæ proprietates fluunt, quando inveſtigo, me eam conſequi non poſſe plane perſpicio; hoc ego perſcrutando reperire tantum poſſum, nimirum cum corpus tantummodo ſit, realem iſtius eſſentiam, aut conſtitutionem, e qua iſtæ qualitates pendent, nihil aliud eſſe poſſe, præter figuram, molem, & partium iſtius ſolidarum connexionem; quorum cum nullum diſtincte a me percipiatur, impoſſibile eſt, ut *ideam* habeam realis iſtius eſſentiæ, quæ cauſa eſt, cur præditum ſit peculiari iſta rutilante flavedine; majori pondere, quam ulla alia res ejuſdem magnitudinis; & propenſione ad coloris mutationem ſubeundam per vivi argenti tactum. Si quis dixerit, realem eſſentiam, atque internam conſtitutionem, e qua proprietates iſtæ pendent, non eſſe figuram, molem, & ſolidarum iſtius partium ſitum, verum aliud aliquid, quæ *forma* iſtius dicatur; tunc longius abſum a realis iſtius eſſentiæ *idea* aliqua, quam prius eram. *Ideam* enim ha-

habeo figuræ, molis, & partium ſolidarum ſitus in genere, etiamſi haud particularis iſtius figuræ, molis, aut partium ſitus, per quæ memoratæ ſuperius qualitates producuntur, quas qualitates in ea materiæ parte reperio, quam in digito habeo, non vero in altera materia, qua calamum diſſeco, quo utor in ſcribendo. Cum vero dicitur, aliud aliquid præter figuram, molem, & poſituram partium ſolidarum corporis iſtius, eſſe eſſentiam ejus, aliquid nempe, quod dicitur *forma ſubſtantialis*, iſtius fateor me non aliam habere *ideam*, prterquam ſoni vocis *formæ*. Eadem me eſſentiarum aliorum omnium entium, quæ particularis hujuſce auri, ignoratio tenet; quarum eſſentiarum me nullam omnino *ideam* diſtinctam habere confiteor; in eadem, puto, ſe deprehendent ignorantia alii, quamprimum ſuam rerum cognitionem diligenter exquirent.

§. VII.

Subſtantiarum ideæ, *quatenus ad reales eſſentias referuntur*, *non ſunt adæquatæ*.

QUando homines peculiari huic materiæ in digito meo nomen generale imponunt, quod jam quotidiano eſt in uſu, eamque *Aurum* denominant, annon omnium opinio eſt, eos nomen illud iſti tribuere, tanquam pertinens ad peculiarem corporum ſpeciem, reali interna eſſentia præditorum; cui eſſentiæ tribuendum eſt, quod particularis hæc ſubſtantia iſtius ſit ſpeciei, atque nomine iſto ſignetur? quod ſi ſic, prout eſſe perſpicuum eſt, nomen, quo res ſignantur, tanquam eſſentiam iſtam habentes, primario ad eſſentiam iſtam referatur neceſſe eſt; & conſequenter *idea*, cui nomen illud tribuitur,

ad

ad eſſentiam iſtam, eamque repræſentandam referenda eſt: quæ eſſentia, cum iis, qui nominibus ita utuntur, incognita ſit, neceſſe eſt, ut illorum *ideæ* omnes *ſubſtantiarum*, in eo reſpectu, ſint *inadæquatæ*; utpote quæ non eam, quam mens cupit, realem eſſentiam in ſe continent.

§. VIII.

Ideæ ſubſtantiarum, haud ſecus quam qualitatum illarum collectiones, omnes ſunt inadæquatæ.

SEcundo, Homines iſti, qui rejecta inani iſta opinione de incognitis eſſentiis realibus, per quas res ab aliis diſtinguuntur, ſubſtantias in mundo exiſtentes mente depingere conantur, *ideas* conjungendo ſenſibilium iſtarum qualitatum, quæ in iis ſimul exiſtere reperiuntur, licet ad ſimilitudinem illarum iis multo propius accedant, qui ſe, neſcio quas, reales eſſentias ſpecificas ſcire arbitrantur: non tamen adæquatas perfecte *ideas* ſubſtantiarum attingunt, quas in mentes ſuas ita tranſcribere vellent: neque ectypa hæc omnia accurate pleneque continent, quæ in Archetypis reperiuntur. Quoniam qualitates, & ſubſtantiarum potentiæ iſtæ, e quibus nos complexas illarum *ideas* conficimus, tam multiplices variæque ſunt, ut nullius *idea* complexa illas omnes contineat. Atque primo, abſtractas noſtras ſubſtantiarum *ideas* haud in ſe continere ſimplices omnes *ideas*, quæ in rebus ipſis uniuntur, ex eo patet, quod homines rariſſime in complexa ſua ſubſtantiæ cujuſdam *idea* ſimplices omnes *ideas* ponant, quas in ea exiſtere norunt. Quoniam ſtudium in hoc ponentes, ut nominum ſpecificorum ſignificatio, quoad ejus fieri poteſt, clara ſit, longiſſimeque a confuſione abſit, ſpecificas ſuas

ideas

ideas generum ſubſtantiarum, maxima ex parte, e paucis ſimplicium *idearum* iſtarum conficiunt, quæ in iis reperiendæ ſunt: cum vero hæ nullam originalem præſtantiam, neque prærogativam habeant, ut inferantur & ſpecificam *ideam* conſtituant, præ aliis, quæ omittuntur, manifeſtum eſt modo utroque, *ſubſtantiarum ideas* noſtras mutilas eſſe, & *inadæquatas*. Præterea ſimplices *ideæ* omnes, e quibus ſubſtantiarum complexæ noſtræ conflantur, (excepta tantum figura & mole generum quorundam) ſunt meræ potentiæ; quæ, cum ad alias ſubſtantias referantur, pro certo ſcire nequimus, nos corporis cujuſvis potentias omnes cognitas habere, quoad experimentis deprehenderimus, quas mutationes aptum ſit in aliis ſubſtantiis efficere, aut recipere ab iis, prout diverſimode applicantur. Hoc cum in uno aliquo corpore experiri nequeamus, multo minus in omnibus; impoſſibile ergo eſt, ut ſubſtantiæ ullius *ideas* adæquatas habeamus, e collectione omnium iſtius proprietatum conflatas.

§. IX. Qui primus incidit in portionem generis iſtius ſubſtantiæ, quam nos per vocem *aurum* denotamus, credere haud potuit magnitudinem & figuram, quam mole in iſta obſervabat, e reali iſtius eſſentia, aut conſtitutione interna dependere. Hæc itaque notionem, quam in his habuit, ſpecifici iſtius corporis nunquam ingreſſa ſunt; verum peculiarem iſtius colorem, fortaſſe, & pondus, primum ab eo præſcindebat, ad complexam ſpeciei iſtius *ideam* conſtituendam. Quæ ambæ res nil niſi potentiæ ſunt; color ſcilicet ad oculos noſtros modo peculiari afficiendos, & ad *ideam* iſtam in nobis producendam, quam *flavedinem* appellamus; pondus vero ad aliud corpus ejuſdem magnitudinis ſurſum levandum, cum in oppoſitis libræ lancibus æqualibus ponuntur. Alius fortaſſe, hiſce adjecit, fuſibilitatis & fixitatis *ideas*,

quæ

quæ duæ aliæ ſunt *potentiæ paſſivæ*, quæ ignis in aurum operationem reſpiciunt: alius ductilitatem ejus, & ſolubilitatem in *Aqua Regia*, quæ aliæ ſunt duæ potentiæ, corporum aliorum operationem reſpicientes, in externa iſtius figura immutanda, illudve in partes inſenſibiles redigendo. Hæc omnia, aut illorum nonnulla, copulata vulgo in mentibus hominum complexam *ideam* corporis iſtius efficiunt, quod nos *aurum* appellamus.

§. X. Nemo autem, qui corporum proprietates in genere, aut hujuſce generis ſigillatim animo contemplatus eſt, in dubio eſſe poteſt, utrum hoc, quod *aurum* dicitur, infinitas alias proprietates habeat, haud in *idea* iſta contentas. Nonnulli, credo, qui ſpeciem hanc accuratius expenderunt, decuplo plures proprietates in auro numerare poſſunt, quæ ab interna iſtius conſtitutione haud magis ſeparari queunt, quam color, aut pondus: atque probabile eſt, ſi unus quiſpiam metalli hujuſce proprietates omnes compertas haberet, quæ plurimis paſſim cognitæ ſunt, centuplo plures *ideæ*, quam in ullo homine nunc reperiuntur, auri complexam *ideam* ingrederentur; attamen haud ea fortaſſe illarum pars milleſima foret, quæ reperiri in eo poſſunt. Mutationes quippe, quas unicum illud corpus aptum eſt ab aliis corporibus recipere, & efficere in iis, ea omnia longe ſuperant, non quæ ſcimus tantummodo, verum quæ animis propemodum concipere poſſumus. Neque hoc ulli quam maxime paradoxum & mirum videbitur, qui ſecum reputabit, quam longe adhuc homines abſint a cognitione proprietatum omnium unius iſtius, non adeo compoſitæ figuræ, *trianguli*, etiamſi Mathematici haud exiguam illarum multitudinem jamjam aperuerunt.

§. XI.

§. XI.

Ideæ ſubſtantiarum omnes juxta ac qualitatum illarum collectiones, ſunt inadæquatæ.

CErtum itaque eſt, *ſubſtantiarum complexas noſtras ideas omnes imperfectas eſſe* & *inadæquatas*. Haud ſecus ſe res haberet in figuris Mathematicis, ſi complexas earum *ideas* nanciſceremur, illarum tantummodo proprietates colligendo, quatenus ad alias figuras referuntur. Quam incertæ, atque imperfectæ forent *ideæ* noſtræ *Ellypſis*, ſi non aliam *ideam* haberemus præterquam paucarum iſtius proprietatum? nunc vero cum clara & aperta, quam habemus, *idea* totam figuræ iſtius eſſentiam contineat, proprietates iſtæ palam fiunt, & demonſtrative percipimus quomodo inde fluant, & ab ea inſeparabiles ſint.

§. XII.

Simplices ideæ ἔκτυπα, *& adæquatæ ſunt.*

HOc modo mens tria habet genera *idearum* abſtractarum, ſive eſſentiarum nominalium.

Primo, *Ideæ ſimplices*, quæ ἔκτυπα ſunt ſive *exſcripta*, pro certo tamen adæquatæ ſunt. Quoniam cum deſtinentur ad nihil exprimendum, præter potentiam in rebus ad certam quandam ſenſationem in mente producendam, ſenſatio iſta, quando producitur, nequit non eſſe potentiæ iſtius effectus. Ita cum charta, in qua ſcribo, potentiam habeat *in luce*, (loquor jam ſecundum vulgarem notionem lucis) ſenſationem in me producendi, quam voco *Album*, fieri non poteſt, quin ejuſmodi potentiæ ſit effectus in

in re aliqua extra mentem; mens enim non poteſt ejuſmodi *ideam* aliquam in ſe producere, cumque hæc ſenſatio non niſi effectum iſtiuſmodi potentiæ deſignet, ſimplex iſta *idea* realis eſt & *adæquata*: *Albi* enim ſenſatio in mente mea, cum effectus ſit potentiæ iſtius, quæ chartæ ineſt ad eam producendam, huic perfectæ adæquata eſt potentiæ; ſecus, potentia iſta diverſam longe *ideam* produceret (153).

§. XIII.

Subſtantiarum ideæ *ſunt* ἔκτυπα, *& inadæquatæ.*

SEcundo, *Complexæ ſubſtantiarum ideæ ſunt etiam ectypa*, ſive exſcripta; non vero perfecta aut adæquata: quod menti exinde valde perſpicuum eſt, quod quamcunque *idearum* ſimplicium collectionem efficiat ſubſtantiæ cujuſdam exiſtentis, certo ſcire nequeat, eam reſpondere omnibus, quæ in ſubſtantia iſta continentur. Cum enim haud experimento didicerit alterationes omnes, quas in aliis ſubſtantiis efficere, aut ab iis recipere poteſt, (154) nequit *activarum* omnium & *paſſivarum* iſtius *potentiarum* perfecte adæquatam collectionem habere; proinde nec adæquatam *ideam* complexam potentiarum ſubſtantiæ cujuſdam exiſtentis, atque relationum iſtius, quod genus eſt *ideæ* complexæ ſubſtantiarum, qua nos

---

(153) Recte dubitari poſſe, puto. Quales ſunt characteres, quibus diſtinguitur a rubro? profecto dici nequeunt. Ergo non ſunt adæquatæ (28. *tom.* 2.).

(154) Tum non ſubſtantiæ idea quæritur, ſed rei; quæ de omnibus profecto haberi nequit.

nos prædit fumus. Poſtremo, ſi nos, in *idea* noſtra complexa, accuratam collectionem *ſecundarum* omnium *qualitatum*, aut potentiarum ſubſtantiæ cujuſdam complecti poſſemus, non tamen exinde rei iſtius eſſentiæ *ideam* haberemus. Cum potentiæ enim, aut qualitates, quæ in ſenſus noſtros incurrunt, non ſunt realis eſſentia ſubſtantiæ iſtius, verum pendent fluuntque ex ea, non poteſt harum qualitatum collectio, quantumvis magna, rei iſtius realis eſſentia eſſe. Unde patet ſubſtantiarum *ideas* noſtras non eſſe adæquatas: nec, quod mens eas eſſe vult. Præterea, *ſubſtantiæ* in genere *ideam* nullam habemus, & quid in ſe ſit, prorſus ignoramus.

§. XIV.

Modorum & Relationum ideæ ſunt archetypi, & non poſſunt non eſſe adæquatæ.

TErtio, *Complexæ ideæ Modorum & Relationum*, *ſunt primæ formæ* & *Archetypi*, non ectypa, quæ fiunt ad exemplar realis cujuſdam exiſtentiæ, cui mens eas conformes eſſe; & ad amuſſim convenire vult (155), cum hæ *idearum* ſimplicium complexiones per mentem ipſam copulentur, & illarum ſingulæ omnia in ſe præciſe contineant, quæ continenda eſſe mens ſtatuit, Archetypi ſunt, & *Modorum* eſſentiæ, qui exiſtere poſſint; atque ita ad *Modos* tantum referuntur, qui quando exiſtunt, cum *ideis* iſtis complexis in omnibus conveniunt. *Modorum* itaque & *Relationum ideæ non poſſunt non eſſe adæquatæ*.

CAP.

(155) *V. adn.* 141. *tom.* 1.

C A P. XXXII.

De Veris & ſalſis Ideis.

§. I.

Veritas & Falſitas proprie ad propoſitiones tantum pertinent.

Etiamſi proprie loquendo, Veritas & Falſitas ad propoſitiones tantum pertineant, *ideæ* tamen ſæpiſſime *variæ* & *falſæ* dicuntur (atque ubinam ſunt voces iſtæ, quæ non latiſſime aliquando ſumantur, & a propria ſignificatione aliquantulum deflectantur?) credo tamen, cum ideæ ipſæ *veræ* & *falæ* dicuntur, occultam aliquam tacitamque propoſitionem ſemper eſſe, quæ fundamentum eſt denominationis iſtius: quod palam erit, ſi cauſas ſigillatim examinemus, cur veræ aut falſæ appellentur. In quibus omnibus, affirmationem, aut negationem aliquam reperiemus, quæ ratio eſt denominationis iſtius. *Ideæ* enim noſtræ, cum nuda tantum ſimulacra ſint, ſeu perceptiones in mente, haud proprie & ſimpliciter in ſe magis *vera* dicenda ſunt aut *falſa*, quam rei ullius nomen ſingulare, verum aut falſum dici poteſt.

§. II.

Veritas metaphyſica tacitam enunciationem continet.

FAteor equidem, tam *ideas*, quam voces *veras* eſſe dici poſſe, ſi vox Veritas *ſenſu methaphyſico* uſurpetur; prout nimirum aliæ res omnes, quæ quodam modo veræ dicuntur; *i. e.* tales revera eſſe, quales exiſtunt. Etiamſi res, quæ veræ dicuntur etiam in iſto ſenſu, clanculum, fortaſſe, ad *ideas* noſtras referuntur, quæ tanquam normæ iſtius veritatis ſpectantur, atque hoc mentalis propoſitionis vim habet, licet haud vulgo animadverti ſoleat (156).

§. III.

Nullæ ideæ quatenus ſimulacra ſunt in mente, veræ ſunt aut falſæ.

HAud vero circa metaphyſicum iſtum *veritatis* ſenſum, noſtra hic diſquiſitio verſatur, cum examinamus, utrum *ideæ* noſtræ capaces ſint veritatis aut falſitatis; verum circa communem & quotidianum vocum iſtarum uſum; atque ita dico, nullas ex *ideis*, quæ in animo ſunt noſtro, cum totidem ſolummodo perceptiones ibi, aut imagines ſint, falſas eſſe poſſe. *Idea* enim *Centauri*, haud plus falſitatis in ſe continet, cum menti exhibetur; quam vox *Centaurus*, quando ore profertur, aut chartæ inſcribitur. Cum enim veritas aut falſitas ſemper poſita ſit in affirmatione aliqua, aut negatione, *mentali*

(156) *V. adn.* 48. *tom.* 1.

tali ſaltem ſi non *verbali*, in nullam ex *ideis* noſtris *falſitas* prius *cadere poteſt*, quam animus affirmando aut negando judicium aliquod de iis tulerit.

§. IV.

Ideæ, ad aliquid relatæ, veræ aut falſæ eſſe poſſunt.

QUandocunque mens *ideas* ſuas ad aliquid refert, iis extraneum, tunc *veritatis aut falſitatis participes eſſe poſſunt*. Quoniam in eo caſu mens tacite ſupponit eas rei iſti conformes eſſe; atque prout contigerit, opinionem iſtam veram eſſe aut falſam; ita *ideæ* ipſæ ſemper denominantur. Caſus uſitatiſſimi, in quibus hoc evenit, ii ſunt, qui ſequuntur.

§. V.

Aliorum Ideæ, exiſtentiæ reales, & exiſtimatæ reales eſſentiæ, ea ſunt, ad quæ homines ideas *ſuas vulgo referunt.*

PRimo, Cum mens exiſtimat, *ideam*, quam habet, alteri *conformem* eſſe, quæ eſt in aliorum animis, quæ eodem communi nomine ſignatur; *v. g.* cum putat *ideas* ſuas, *juſtitiæ*, *temperantiæ*, *religionis*, eaſdem eſſe cum iis, quibus nomina iſta ab aliis imponuntur.

Secundo, Cum mens *ideam* aliquam, quam in ſe habet, *reali alicui exiſtentiæ conformem eſſe putat*. Ita *idearum duarum*, Hominis, & Centauri, quæ ſubſtantiarum realium *ideæ* eſſe ſupponuntur, altera falſa eſt; una enim rei conformis eſt in rerum natura exiſtenti; altera non item.

Tertio, Cum mens quaſdam ex *ideis* ſuis ad *realem* iſtam conſtitutionem, aut rei alicujus *eſſentiam* refert, e qua omnes iſtius proprietates pendent; hoc modo *idearum* noſtrarum ſubſtantiarum pars maxima, ſi non omnes, falſæ ſunt.

§. VI.

Unde eſt, quod res ita referuntur?

Usitatum eſt menti, talia de *ideis* ſuis tacite ſecum ſupponere. At ſi diligenter attenderimus, reperiemus, hoc præcipue, ſi non penitus, circa abſtractas ejus *ideas complexas* fieri. Cum enim mens naturali incitatione ad rerum cognitionem feratur, & cum videat, ſe, ſi particularibus tantum immoraretur, tardiſſimos facturam progreſſus, atque illud infiniti fore laboris. Ergo ut compendiariam ſibi ad ſcientias viam aperiat, & unaquæque perceptio latius pateat, ante omnia, pro fundamento cognitionis ſuæ facilius ampliandæ, vel per contemplationem rerum ipſarum, quas ſcire cupit, vel per ſermocinationem cum aliis, in faſciculos, ut ita dicam, eas colligit, atque ita in claſſes digerit, ut quam cognitionem omnium illarum adipiſcitur, eo pacto ad alias omnes ejuſdem generis confidenter & ſecure extendat; atque ita poſſit ad eam, cui ſummopere ſtudet, rerum ſcientiam niti. Hæc, ut ſuperius oſtendi, ratio eſt, cur res ſub *ideis* complexis comprehendamus, eaſque *generum* & *ſpecierum* nominibus ſignemus.

§. VII. Si diligenter itaque animi noſtri operationibus attendemus, quemque teneat curſum vulgo in adipiſcenda cognitione animadvertemus, palam, arbitror, erit, mentem, quamprimum ideam aliquam nacta eſt, quam in contemplatione aut ſermone

mone uſui fore putat; primum eam ab aliis omnibus præſcindere, deinde nomen iſti tribuere; atque ita eam in memoriæ theſauro recondere, tanquam continentem generis cujuſdam rerum eſſentiam, quæ nomine iſto ſemper deſignandæ ſunt. Hinc notare licet, cum quiſpiam rem novam aliquam videt generis ignoti, ſtatim eum rogare, quid ſit, nec interrogatione iſta quippiam, præter nomen, ſciſcitari. Perinde ac ſi nomen ſecum ferret ſpeciei notitiam, aut eſſentiæ iſtius: cujus quidem pro ſigno uſurpatur, & cum ea connexum eſſe vulgo cenſetur.

§. VIII. Cum vero *idea* hæc abſtracta in mente medium quid ſit inter rem exiſtentem, & nomen iſti impoſitum, cognitionis noſtræ rectitudo, & ſermonis etiam, ab ideis noſtris omnino pendent. Hinc etiam in proclivi adeo eſt, hominibus, arbitrari, *ideas* abſtractas in animo exiſtentes rebus externis convenire, ad quas referuntur; atque eas eſſe, ad quas nomina, quibus ſignantur, ex ſermonis iſtius uſu atque idiomate, pertinent; ſine dulpici enim hac *idearum congruentia*, vident, ſe de rebus perperam in ſemet cogitaturos, neve, eas aliis exprimentes intelligi poſſe.

§. IX.

Simplices ideæ, ad alias quando referuntur, nominis ejuſdem, falſæ eſſe poſſunt, hæ vero minime omnium errori ſunt obnoxiæ.

PRimo itaque dico, quando *idearum noſtrarum veritas ex illarum congruentia cum iis æſtimatur, quæ ſunt in aliis, quæque eodem nomine communiter deſignantur, tunc quævis ex iis falſæ eſſe poſſunt. Ideæ* tamen ſimplices errori *iſti minime omnium obnoxiæ*

 ſunt.

ſunt. Ratio eſt, quia unuſquiſque ſenſuum ope, & quotidiana obſervatione, facile exploratum habere poteſt, quæ ſint ſimplices iſtæ ideæ, quibus ſua cujuſque nomina, quæ communi ſunt in uſu, imponuntur, quoniam illæ numero pauciſſimæ ſunt, atque eæ etiam, quas, ſi forte in dubitationem circa illas, aut errorem inciderit, emendare facile poteſt per objecta, in quibus reperiuntur. Rariſſime itaque accidit, ut in nominibus *idearum* ſimplicium quis erret; aut nomen *rubri* ad *viridis ideam* applicet; aut nomen *dulcis* ad *ideam amari*: multo minus hominibus familiare eſt, *ideas* inter ſe permiſcere, ad diverſos ſenſus pertinentes; atque colorem ſaporis nomine ſignare, *&c.* unde perſpicuum eſt, *ideas* ſimplices, certo quodam nomine ſignatas, eaſdem communiter eſſe, quas alii deſignant, cum iiſdem nominibus utuntur.

§. X.

Modorum mixtorum ideæ in hoc ſenſu errori maxime ſunt obnoxiæ.

I*Deæ complexæ falſitati hoc in caſu multo magis obnoxiæ ſunt; atque complexæ Modorum Mixtorum multo magis, quam ſubſtantiarum ideæ*: quoniam in *ſubſtantiis*, (iis præſertim, quibus vulgaria, nec aliunde accerſita, linguæ cujuſdam nomina tribuuntur) inſignes nonnullæ qualitates ſenſibiles, quæ, ut genus unum ab altero diſtinguere poſſumus, communiter inſerviunt (157), facile obſtant, quo minus illi, qui in verborum uſu cautionem aliquam adhi-

(157) Confirmatur quod adnotavimus (*Med. in Lock. Cap.* 23.) hoc eſt, pro ſubſtantia ſumere rerum ſpecies non genus.

adhibent, ea ſubſtantiarum generibus tribuant, ad quas neutiquam pertinent. In Modis vero Mixtis multo incertiores ſumus; de multis enim actionibus haud ſane facile eſt, ſtatuere, utrum *juſtitiæ* aut *crudelitatis*; *liberalitatis*, aut *profuſæ luxuriei* nomen mereantur. Ita, cum noſtras ad aliorum *ideas* referimus, eodem nomine notatas, noſtræ falſæ eſſe poſſint; atque *idea* iſta in animis noſtris, quam *juſtitiam* vocamus, alio, fortaſſe, nomine ſignari debebat (158).

§. XI.

Aut ſaltem ut falſæ eſſe, exiſtimentur.

UTrum vero *ideis* noſtris Modorum mixtorum magis, quam alteri ulli generi contingat nec ne, ut ab iis differant, quæ, iiſdem ſignatæ nominibus, in aliis reperiuntur; hoc ſaltem exploratiſſimum eſt, *genus hoc falſitatis ideis noſtris Modorum mixtorum uſitatius*, *quam ullis aliis attribui*. Cum quis cenſetur falſam habere *ideam juſtitiæ*, *gratitudinis*, aut *gloriæ*, non alia de cauſa hoc fit, niſi quod *ideæ* ejus haud cum iis conveniant, quarum nomina iſta ſigna ſunt in aliis.

§. XII.

Cur vero?

RAtio hæc mihi videtur eſſe, quod cum *ideæ* abſtractæ Modorum mixtorum, complexiones ſint definiti numeri *idearum* ſimplicium, voluntarie ab homini-

T 4 bus

(158) *V. adn. 56. uſq. 63. tom. 1.*

bus factæ; atque ita ſpeciei cujuſque eſſentia ab hominibus tantum fiat, cujus non aliam ullibi normam aut exemplar habemus, præter ejuſmodi combinationis nomen ipſum aut nominis iſtius definitionem; nihil eſt, ad quod noſtræ hæ Modorum mixtorum *ideæ* tanquam ad exemplar, cui conformari debent, poſſint referri, præter *ideas* illorum, qui nominibus iſtis in maxime propriis ſignificationibus uti exiſtimantur; atque ita *ideæ* noſtræ, quatenus cum iis congruunt, aut diverſæ ſunt, *veræ* aut *falſæ* habentur. Hucuſque de veritate & falſitate *idearum* noſtrarum, nominum iſtarum reſpectu.

§. XIII.

Quatenus ad reales exiſtentias referuntur, nullæ ex noſtris, niſi ſubſtantiarum, ideis *falſæ eſſe poſſunt.*

S*Ecundo, ad idearum noſtrarum veritatem & falſitatem quod attinet, realis* rerum *exiſtentiæ reſpectu*, cum veritas illarum ad normam iſtam exigitur, nullæ ex iis dici poſſunt *falſæ*, præter complexas noſtras ſubſtantiarum *ideas*.

§. XIV.

Primo ideæ ſimplices in hoc ſenſu non poſſunt eſſe falſæ, & cur?

P*Rimo*, Cum *Ideæ* noſtræ ſimplices nudæ tantum perceptiones ſint, ad quas recipiendas apti ſumus e Deo nati, qui externis etiam objectis potentiam indidit, eas in nobis producendi certis legibus, modiſque ſapientiæ & bonitati ejus conſentaneis, etſi intelligentiam noſtram longe ſuperantibus, veritas illarum in illis tantum imaginibus ſive ſpeciebus conſiſtit,

ſiſtit, quæ in nobis producuntur, atque neceſſe eſt, ut potentiis conſentiant, quas in objectis externis collocavit, alioquin haud in nobis producerentur: cumque potentiis iis ita reſpondeant, ſunt, prout eſſe debent, veræ *ideæ*. Nec eſt, cur falſæ habeantur, ſi mens (prout in plerisque fieri, credo, ſolet) *ideas* haſce in rebus ipſis exiſtere cenſet. Cum enim a Deo Sapientiſſimo tanquam notæ & inſignia in rebus collocentur, quorum indicio unum ab altero ſecernere, atque ita alterutrum eligere poſſimus, prout ad uſus noſtros maxime accommodatum eſſe videbitur; haud ſimplicis *ideæ* noſtræ natura immutabitur, ſive putemus *cærulei ideam* eſſe in *viola* ipſa, aut tantum in mente noſtra; nihilque in *viola* eſſe præter potentiam eum producendi per texturam partium, luminis particulas huc illuc certo quodam modo reflectentium. Cum enim textura iſta in objecto, regulariter conſtanterque operans, eandem *cærulei ideam* in nobis producat, ſatis nobis inſervit, oculorum ope, ad iſtam rem ab alia quavis diſtinguendam; ſive notà iſta diſtinctionis, prout realiter eſt in *viola*, ſit peculiaris tantum partium textura, ſive ipſemet color, cujus *idea* (quæ in nobis eſt) ipſiſſima imago eſt. Atque denominatio iſta *cærulei* ex eo oritur, quod nobis apparet, ſive realis ſit color, ſive peculiaris tantum *violæ* partium textura, quæ *ideam* iſtam in nobis efficit, perinde enim eſt; cum nomen *cærulei* proprie nihil denotet, præter notam diſtinctionis in *viola* oculis tantummodo noſtris perceptibilem in quocunque demum conſiſtat; ultra enim ingenii vires eſt, illud ſcire diſtincte, & fortaſſe (*) minus e re noſtra foret, facultates habere pares tantæ perceptioni.

§. XV.

(*) Conferantur, quæ Auctor noſter ſuperiori loco de ea re erudite ſatis commentatus eſt, Cap XXIII. §. 12.

§. XV.

Neque ſi cærulei idea *in uno ab ea differret, quæ in alio eſt.*

NEc quidem *Ideæ* noſtræ Simplices exinde falſitatis arguerentur, ſi ex diverſa organorum ſtructura res ita comparatæ forent, ut *idem objectum in diverſorum mentibus diverſas* ſimul *ideas produceret*; v. g. Si *idea* a *viola* in unius animo, oculorum adminiculo, producta, eadem foret cum illa, quam *caltha* in alterius animo producit, & *vice verſa*. Quandoquidem hoc ſciri haudquaquam poſſet: cum unius animus nequeat in alterius corpus tranſire, ad perdiſcendum, quomodo res organis iſtis repræſententur; neque *ideæ* hoc modo, aut nomina confunderentur, neque utrivis falſitas ulla ſubeſſet. Cum enim omnia *violæ* textura prædita corpora, *ideam* conſtanter producant, quam is *cærulei* nomine, & quæ texturam habent *calthæ*, ejuſmodi producant ideam, quam alter, non minus conſtanter *flavi* nomine deſignat, qualeſcunque repræſentationes in mente fuerint factæ; non minus regulariter poteſt res ad uſus ſuos per repræſentationes iſtas diſtinguere, atque diſtinctiones iſtas, *cærulei flavique* nominibus notatas, aliis exprimere, quam ſi imagines, aut *ideæ* in animo, e duobus iſtis floribus manantes, eædem plane forent cum iis, quæ in aliorum animis imprimuntur (159). Cenſeo nihilominus, *ideas* ſenſibiles, quæ per objectum quodvis diverſorum animis exhibentur, parum aut nihil a ſe invicem diſcrepare. Quam opinionem multis puto rationibus firmari poſſe, illud vero, utpote ab inſtituto meo alienum, hic

(159) *V. adn.* 145. *tom.* 1.

hic prætermittendum eſt; Lectori tantum memorare vellem, contrariam opinionem, ſi etiam probari poſſet, ne minimi quidem momenti eſſe, ad ingenium excolendum, aut vitæ commoda comparanda; ideoque ſupervacaneum eſt, in illius examine immorari.

§. XVI.

Primo, ſimplices Ideæ in hoc ſenſu non ſunt falſæ, & quare.

EX iis, quæ dicta ſunt, perſpicuum eſt, arbitror, *nullas ex ideis noſtris ſimplicibus falſas eſſe poſſe, rerum reſpectu extra nos exiſtentium.* Cum enim veritas repræſentationum, aut perceptionum in mente noſtra conſiſtant, ut dictum eſt, in eo tantum, quod potentiis reſpondeant, quas DEUS objectis externis indidit, ad imagines iſtas, ſenſuum ope, in nobis excitandas: cumque ſingulæ illarum in mente quales ſunt, potentiæ congruant, per quam producuntur, quamque unice repræſentant, in eo reſpectu, vel quatenus ad exemplar illud referuntur, falſæ eſſe nequeunt. *Cæruleum* aut *flavum*, *amarum* aut *dulce*, non poſſunt eſſe falſæ *ideæ*; hæ perceptiones in animo ſunt, prout eſſe apparent, congruæ potentiæ ad illarum productionem a Deo deſtinatæ (160); proinde illud revera ſunt, quod debent eſſe. Fieri quidem poteſt, ut nomina haud recte uſurpentur, illud vero in hoc reſpectu haud errorem efficit in ideis; uti ſi quis Latini ſermonis ignarus *purpuram* vocaret, *coccinum*.

§. XVII.

(160) *V. adn.* 141. *uſqu.* 144. *tom.* 1.

§. XVII.

Secundo, Modorum Ideæ non falſæ eſſe poſſunt.

SEcundo, *Neque complexæ noſtræ Modorum ideæ, cum ad eſſentiam referantur rei cujuſdam realiter exiſtentis, falſæ eſſe poſſunt.* Quoniam, quamcunque ego complexam *ideam* habeam Modi cujuſdam, haud refertur ad exemplar aliquod alicubi exiſtens, quod natura fabricata eſt. Haud cenſetur alias in ſe *ideas* continere, quam quas habet, nec aliud quippiam repræſentare, præter talem idearum complexum, qualem exhibet. Ita nimirum cum *ideam* habeo actionis hominis, qui ejuſmodi cibum, potum, veſtimenta, atque alia vitæ commoda ſibimet denegat, qualia facultates ipſius ſuppeditare poſſunt, atque fortunæ conditio poſtulat, haud falſam habeo *ideam*; verum quæ actionem repræſentat, prout a me, aut eſſe deprehenditur, concipitur; atque ita neque veritatis, aut falſitatis capax eſt. At vero cum *frugalitatis*, aut *virtutis* nomen actioni huic tribuo, tunc falſa idea rite vocari poteſt, ſi ideæ huic copulari exiſtimetur, ad quam, in communi ſermonis uſu, nomen *frugalitatis* pertinet; aut legi convenire, quæ norma eſt virtutis & vitii.

§. XVIII.

Tertio ſubſtantiarum ideæ falſæ quando?

TErtio, Complexæ noſtræ *ſubſtantiarum ideæ, cum omnes referantur ad exemplaria in rebus ipſis, falſæ eſſe poſſunt.* Eas omnes tunc falſas eſſe, cum ſpectantur tanquam repræſentationes five ſimilitudines incognitarum eſſentiarum entium, perſpicuum adeo eſt, ut fruſtra tempus tereretur, ſi id pro-

ba-

batum iremus. Miſſo itaque conceptu hoc chimærico, ſubſtantias conſiderabo tanquam ſimplicium *idearum* collectiones in animo formatas, quæ deſumuntur a certis *idearum* ſimplicium combinationibus in rebus ſimul conſtanter exiſtentium, quorum Archetyporum Apographa eſſe exiſtimantur. Hoc modo ad rerum exiſtentiam quando referuntur, *falſæ ſunt ideæ*: I. Quando ſimplices *ideas* ſimul conjungunt, quæ in reali rerum exiſtentia, nullam unionem habent; uti cum formæ & figuræ, quæ ſimul exiſtunt in equo, potentia canis ritu *latrandi*, in eadem *idea* complexa conjungitur: quæ tres *ideæ*, utcunque in mente conjungantur, in rerum tamen natura nunquam unitæ erant; hæc itaque dici poteſt falſa *idea Equi*. II. Subſtantiarum *ideæ*, in hoc reſpectu, falſæ etiam ſunt, quando a collectione quadam *idearum* ſimplicium, quæ ſimul ſemper exiſtunt, alia quædam *idea* Simplex, quæ cum iis ſemper conjungitur, per negationem explicitam ſeparatur. Ita ſi extenſioni, ſoliditati, fuſibilitati, peculiari ponderi, & flavedini *Auri*, aliquis in cogitationibus ſuis negationem adjungat majoris gradus *fixitatis*, quam in plumbo, aut cupro reperitur; æque dici poteſt, falſam habere *ideam* complexam, ac ſi aliis ſimplicibus iſtis perfectæ abſolutæque fixitatis *ideam* adjungat. Utroque enim modo, auri complexa *idea*, cum e ſimplicibus conflata ſit, quæ in natura nullam unionem habent, falſa dici poteſt. Si quis vero e complexa hujus metalli idea, fixitatis *ideam* penitus excludat, ſive haud conjungens eam cum aliis, aut ab iis in mente actu ſejungens, pro inadæquata, puto, & imperfecta idea magis, quam pro falſa habenda eſt: quoniam, etiamſi haud omnes iſtas *ideas* ſimplices complectitur, quæ natura uniuntur, tamen nullas conjungit, niſi quæ realiter ſimul exiſtunt.

§. XIX

§. XIX.

Veritas aut falſitas affirmationem aut negationem ſemper ſupponit.

QUamvis ad communem loquendi formam memet accommodans, oſtenderim, quo ſenſu, qua ratione *ideæ* noſtræ *veræ* nonnunquam aut *falſæ* dici poſſint; tamen ſi rem paulo propius ſpectemus, videbimus, judicio alicui a mente de veritate illarum aut falſitate lato tribuendum eſſe, quod ita appellentur. *Veritas* enim, aut *falſitas*, quam *affirmatio aliqua*, aut *negatio*, expreſſa aut tacita ſemper comitatur, haud reperiri poteſt, niſi ubi ſigna connectuntur aut ſeparantur, juxta rerum convenientiam, aut repugnantiam, quas repræſentant. Signa, quibus præcipue utimur, *ideæ* ſunt, aut voces, quibus *mentales* efficimus, aut *verbales* propoſitiones: Veritas conſiſtit in ſignis hiſce perinde uniendis, ac ſeparandis, prout inter ſe conveniunt aut pugnant: falſitas in contrario, ut fuſius poſtea oſtendetur.

§. XX.

Ideæ in ſe neque veræ ſunt nec falſæ.

NUlla igitur *idea*, quam in mente habemus, ſive conformis ſit nec ne rerum exiſtentiæ, aut *ideis*, quæ ſunt in mentibus aliorum, proprie, ea de cauſa ſola, falſa dici poteſt. Hæ enim repræſentationes, ſi nihil in ſe habeant, niſi quod in rebus externis realiter exiſtit, haud falſæ exiſtimari poſſunt, cum aliquid revera repræſentent: nec ſi aliquid in ſe contineat, a rerum realitate diſcrepans, proprie dici poſſunt falſæ eſſe repræſentationes, aut ideæ rerum, quas non repræſentant. Verum error & falſitas eſt.

§. XXI.

§. XXI.

Verum falſæ ſunt, Primo, cum conſentaneæ cenſentur ideæ *alterius, cum tamen non ſint.*

PRimo, *Cum mens ideam aliquam nacta, eam eandem eſſe cenſet cum ea, quæ in aliorum mentibus, eodem nomine ſignatur*; aut conformem eſſe vulgari & pervagatæ ſignificationi aut definitioni vocis iſtius, cum tamen revera non ſit: qui error uſitatiſſimus eſt *Mixtis* in *Modis*, etiamſi aliæ etiam ideæ iſti ſint obnoxiæ.

§. XXII.

Secundo, cum reali exiſtentiæ convenire cenſentur, quando non conveniunt.

SEcundo, Quando complexam *ideam* habens ex ejuſmodi ſimplicium idearum collectione coagmentatam, quales in unum nunquam a natura congeſtæ ſunt, *eam convenire cenſet entium generi realiter exiſtentium*: uti cum *ſtanni* pondus, colori, fuſibilitati, & fixitati *auri* adjungit.

§. XXIII.

Tertio, cum adæquata eſſe cenſetur, ſed non eſt.

TErtio, Cum in complexa, quam habet *idea*, certum *idearum* ſimplicium numerum congerens, quæ in nonnullis entium generibus ſimul revera exiſtunt, atque alias omittens, non minus inſeparabiles, *cenſet hanc perfectam eſſe ideam & adæquatam rerum generis, cujus neutiquam eſt*; v. g. conjunctis ſub-

ſubſtantiæ, flavi, ductilis, ponderoſiſſimi, & fuſibilis *ideis*, ſumit complexam iſtam pro adæquata auri *idea*, cum tamen peculiaris ejus fixitas & ſolubilitas in *Aqua Regia* æque inſeparabiles ſint ab aliis *ideis* aut qualitatibus corporis iſtius, ac iſtæ ſunt a ſe invicem (161).

§. XXIV.

Quarto, cum realem eſſentiam repræſentare cenſentur.

QUarto, *Error adhuc major eſt, quando judico complexam hanc ideam realem eſſentiam in ſe continere corporis cujuſdam exiſtentis*; cum non niſi paucas e proprietatibus iſtis complectatur, quæ ex reali iſtius eſſentia & conſtitutione fluunt. Non niſi paucas dico; quoniam cum proprietates iſtæ conſiſtant maxima ex parte *in potentiis activis* & *paſſivis*, quibus prædita eſt, quatenus ad res alias refertur, omnes illæ, quæ in aliquo corpore compertæ ſunt, & ex quibus *ideæ* complexæ generis iſtius rerum vulgo fiunt, non niſi pauciſſimæ ſunt, ſi comparentur ad eas, quæ homini, qui ſæpius experimenta fecerit, in uno iſto rerum genere cognitæ ſunt; atque omnes illæ, quas diligentiſſimus rerum inveſtigator exploratas habet, paucæ admodum ſunt, præ iis, quæ corpore in iſto realiter exiſtunt, atque ex interna iſtius aut eſſentiali conſtitutione pendent. Trianguli eſſentia in exiguum anguſtumque concluditur, e pauculis tantum *ideis* conſtat; tres li-

(161) Si quæratur quid ſit flavum, fuſibile, ponderoſum &c. certe definitio exacta dari nequit, ergo non adeſt adæquata idea (56.)

lineæ ad tres angulos concurrentes eſſentiam iſtam perficiunt. At proprietates, ab eſſentia hac manantes, plures ſunt, quam quæ ſciri facile, aut numerari poſſint. Haud ſecus, credo, ſe res habet in ſubſtantiis; realis illarum eſſentiæ ambitus contractus eſt & brevis, etiamſi affectiones, quæ fluunt ex conſtitutione interna, infinitæ ſint (162).

§. XXV.

Ideæ *quando falſeæ*.

UT omnia concludam, cum homo notionem nullam habeat rei ullius externæ, niſi per *ideam* in animo; quam *ideam* liberum eſt ipſi, quocunque velit nomine, appellare; poteſt equidem *ideam* effingere, neque rerum veritati, neque *ideis* reſpondentem, per aliorum voces communiter ſignatis; erroneam vero aut falſam rei *ideam* efficere nequit, quæ non aliter ipſi nota eſt, quam per ideam ejus, quam habet; *v. g.* cum *ideam* effingo crurum, brachiorum, & trunci hominis, atque huic caput & collum equinum adjungo, haud rei cujuſdam falſam *ideam* fingo; quoniam, quod extra me eſt, nihil repræſentat. Cum vero hominem eam aut Tartariæ indigenam appello, & exiſtimo, ipſam vel reale aliquod ens externum repræſentare, vel eandem eſſe ideam, cum alii idem nomen tribuunt: in utroque ſenſu, errori ſum obnoxius. Atque hinc eſt, quod falſa idea dicatur: licet, vera re, falſitas haud *ideæ* ſubſit, verum *mentali iſti* & *tacitæ propoſitioni*, in qua conformitas & ſimilitudo, quam non habet, ipſi tribuitur. Si tamen poſtquam iſtiuſmodi

(162) Si tantum internoſcitur triangulum eſſe tribus angulis formatum, non habetur quam idea diſtincta, erit poſtea adæquata ſi angulorum relationes internoſcuntur.

idea in animo formata eſt, atque cogitatationi meæ nunquam ſubit, vel exiſtentiam, vel *hominis*, aut *Tartari* nomen iſti competere, eam hominem, aut Tartarum vocabo, jure optimo in appellatione iſta miræ novitatis, haud vero erroris in judicando arguendus ſum; neque *idea* iſta ullo modo falſa erit (163).

§. XXVI.

Magis proprie rectæ aut erroneæ dici poſſunt.

UT uno verbo dicam, puto, ideas noſtras, quatenus mentis contemplationi obverſantur, vel propriæ nominum ſignificationis, vel rerum realitatis reſpectu; *rectas* aut *erroneas* apte dici poſſe, prout exemplaribus, ad quæ referuntur, conſentaneæ, aut diſſentaneæ ſunt. Si quis vero eas *veras* aut *falſas* dicere mavult, par eſt, ut idem ipſi, quod unicuique eſt, liberum ſit, res nimirum iis nominibus appellare, quæ optima eſſe judicat; etiamſi proprie loquendo, veritas, aut falſitas vix, puto, iis conveniet, niſi quatenus mentalem aliquam propoſitionem, aliquo modo, virtualiter in ſe continent. *Ideæ* in mente hominis, ſimpliciter ſpectatæ, nequeunt erroneæ & falſæ eſſe, niſi ſint e numero complexarum, in quibus partes, plane inter ſe repugnantes, ſimul ſtare non poſſunt. Aliæ *ideæ* omnes ſunt in ſe rectæ; &, quæ circa illas verſatur, recta & vera eſt cognitio. Cum vero ad aliquid, tanquam ad exempla ſive Archetypos referuntur, tunc capaces ſunt erroris, quatenus ab Archetypis iſtis diſcrepant.

CAP.

(163) Falſitas eſt veritati oppoſitum (48. *tom.* 1.)

C A P. XXXIII.

De Idearum Conſocitatione.

§. I.

In omnium ferme ſermone & actionibus aliquid abſurdi conſpicitur.

VIx quiſpiam eſt, qui in opinionibus, argumentationibus, atque actionibus aliorum, non aliquid maxime abſonum, & in ſe quidem abſurdum, deprehendat. Quodcunque id genus vitii eſt, nemo non in aliis ſtatim animadvertit, atque acerba ſeveritate illud corripit, & ad rationis normam exigit, licet in Opinionibus & vita ipſius longe fortaſſe plura cernantur abſurda, quæ nec ipſemet animadvertit unquam, nec facili ratione, ne dicam prorſus nulla, horum coargui & convinci poteſt.

§. II.

Hoc non ex philavtia ſola provenit.

ETiamſi hoc plerumque ex philavtia, non tamen ſola provenit. Cordati homines, nec ſuis dediti opinionibus, in hoc ſæpiſſime vitium labuntur, & quidem mirum eſt, quanta obſtinatione hi nonnunquam contra veritatem repugnent, licet dilucide ea planeque oſtendatur.

§. III.

Non ab educatione.

ABſurdi hujus ingenii culpa in educationem & præjudicia, & quidem maxima ex parte veriſſime, conjici ſolet; longius vero ſpectent neceſſe eſt, qui vitii hujus veram cauſam quærendo inveſtigare volunt. *Educationi* ſæpe haud perperam cauſa aſſignatur, atque res ipſa generali nomine *Præjudicium* recte dicitur; hujus tamen inſaniæ origo in iis, qui utplurimum ſana mente ſunt, altius paulo repetenda eſt (164).

§. IV.

Inſania quædam eſt.

PErvicaciam hanc a me *inſaniam* dici non ægre ferent, qui ſecum reputant, eos nomen illud mereri, qui verbis contra rationem pugnant; atque vix quiſpiam eſt morbi hujus adeo immunis, quin, ſi modo eodem, quo nonnunquam ſolet, ſemper ageret & ratiocinaretur, homines eum mente captorum conſortio, quam convictu & ſocietate ſanorum hominum digniorem putarent. Nec hic loquor de homine, vehementioribus quibuſdam affectibus concitato, ſed in tranquillo & æquabili vitæ ſuæ curſu conſtituto. Mihi inſuper, duriuſculum inſaniæ nomen uſurpanti, atque in maximam generis humani partem quodammodo iniquo, condonari idcirco par eſt, quoniam *inſaniæ* naturam obiter ſaltem & paucis verbis (*) ſuperiori loco perſcrutatus, ab eadem ori-

(164) *V. adn.* 50. 56. 69. *tom.* 1.
(*) Conf. Lib. II. Cap. XI. §. 13. *V. Med. de Somniloquis &c.*

origine & cauſa illam proficiſci deprehendi, a qua quidem hic defectus, de quo nunc ſermo, derivatur. Quare ſi vitio huic homines communiter obnoxii ſunt, eo diligentius illud explicandum, & nomine ſignandum eſt, ut ab impetu iſtius quilibet ſibi præcavere eo melius poſſit.

§. V.

Ab Ideis naſcitur, perperam inter ſe connexis.

QUædam ex *Ideis* noſtris cum aliis naturalem quandam cognationem habent: rationis opus & præſtantia eſt, has ideas inveſtigare, & in ea, quam ex natura ſua habent, cognatione & unione mutua conſervare. Præter hanc alia eſt *Idearum* connexio, quæ ex caſu aut conſuetudine naſcitur; Ideæ, inter quas nulla cognatio eſt, in mentibus quorundam ita uniuntur, ut eas ſe invicem diſſociare, difficillimum ſit; ſe mutuo ſemper comitantur, nec una mentem unquam prius ſubit, quam ſocia ejus inibi compareat; & ſi plures duabus hoc modo uniuntur, omnes etiam ſemet ſimul conſpiciendas exhibent.

§. VI.

Complexus hic quomodo efficiatur.

HUnc *Idearum* complexum haud ex natura ſua ſimul junctarum, mens in ſe, aut pro arbitrio ſuo, aut caſu efficit; hinc efficitur, in diverſis eum eſſe diverſum: prout homines inſtitutis, & vitæ rationibus a ſe invicem diſcrepant. E conſuetudine & exercitatione, habitus certa ratione cogitandi, haud ſecus in mente, quam in voluntate certæ

quædam determinationes, & in corpore certi motus naſcuntur; quæ omnia nihil eſſe videntur, niſi continuatio ſerieſque motus in ſpiritibus animalibus qui, concitati ſemel, conſuetum retinent curſum, & proinde eædem rerum imagines iis objiciuntur. Uti nos *cogitandi* modum comprehendimus, ita *Ideæ* videntur hoc modo in mente produci; ſin minus exinde tamen ad minimum æque exponitur, quomodo illæ continua ſerie, atque tractu æquabili ſe invicem conſequantur, ac motus corporei hac ratione explicantur. Muſicus, qui carmen aliquod ſæpius cecinit, quamprimum initium cantus illius mentem forte ſubit, videt modulos ſingulos, ipſo animum ad eos neutiquam attendente, regulariter priores non aliter in mente ſequi, quam, cum ipſe carmen idem in organis modulatur, digiti, ipſe licet aliud cogitet, debito ordine per ſingula epitoniorum manubria feruntur. Utrum tam harum *idearum*, quam regularis iſtius digitorum ſubſultationis, motus ſpirituum animalium cauſa ſit, nec ne, haud impræſentiarum ſtatuam, etiamſi allatum hic exemplum efficit, ut illud probabile videatur: etiamſi quid habitus ſint intellectuales, & quomodo *Ideæ* inter ſe connexæ ſint hinc aliquo modo diſcimus (165).

§. VII.

Hinc Sympathiæ & Antipathiæ quædam, quæ naturales habentur, oriuntur.

IDeas hoc modo in omnium ferme animis jungi inter ſe & longa conſuetudine copulari, nemo arbitror, in dubium vocabit, qui ſuos, aut aliorum mores intuebitur. Atque hinc, fortaſſe, Sympathiæ &

---

(165) *V. Med. de Memor. &c.*

& Antipathiæ, quæ cernuntur in hominibus, maxima ex parte oriuntur, quarum vis & effectus non minor eſt, quam ſi naturales eſſent, prout ideoque vocantur; etiamſi initio non alium ortum habuere, quam fortuitum ſeu accidentalem concurſum duarum *idearum*, quas vis primæ impreſſionis, aut nimia in eas mox indulgentia ita conjunxit, ut in mente poſtea haud ſecus cohærerent, quam ſi una revera *Idea* eſſent: De Antipathiis hic pleriſque, non omnibus loquor; nonnullæ enim revera naturales, & corpori ingenitæ ſunt. At palam fieret, magnam partem illarum, quas dicimus naturales, ſi primitus diligenter eſſent animadverſæ, ex *ideis*, non initio annotatis, & per jocum fortaſſe in vim imaginatricem impreſſis, originem duxiſſe. Homo ætate provectior, qui ex melle, affluentius ſumpto, morbum fuit nactus, huic mentio iſtius ſtatim nauſeam facit, & ne ſolam quidem mellis ideam ferre poteſt, hujus vero infirmitatis originem poteſt inveſtigare. Si hoc ex melle contigiſſet, in tenella ætate immodice ſumpto, eodem modo afficeretur, cauſa vero lateret, atque Antipathiam is naturalem diceret (167).

§. VIII.

Quantum interſit, ut huic abſurdæ idearum connexioni opportune antevertamus.

NOn hæc propterea loquor, quod hic neceſſarium putem, naturales Antipathias ab acquiſitis accurate diſtinguere, verum alia de cauſa, nimirum ut parentes, atque ii omnes, quibus puerorum inſtituendorum cura eſt commiſſa, caveant, ne ejuſmodi *Ideæ* haud congruentes & aptæ in illorum animis in-

(167) *V. Med. de pulchrit.*

inter ſe colligentur. Ea ætate quidvis in mente altiſſime imprimitur, & licet viri prudentes ab iis præcavere ſoleant, quæ corpus lædunt, de iis tamen nimis ſecuri ſunt, quæ ad mentem, aut affectus ſpectant, imo, quæ intellectum pure afficiunt, a nemine propemodum curantur.

§. IX.

Hinc errores multi.

IDearum, quarum in ſe nulla eſt cognatio, abſonæ hujus colligationis vis tanta eſt, ad nos in actionibus, tam moralibus quam naturalibus, affectibus, argumentationibus, atque notionibus ipſis, a vero detorquendos, ut, fortaſſe, nihil ſit, adverſus quod cauto magis opus ſit.

§. X.

Exempla ejus.

HAud *lemurum* & *ſpectrorum Ideæ* cum tenebris majorem habent, quam cum luce cognationem; attamen ſi ancilla inepta, aut alius quis, eas ſæpius inculcando, in mente pueruli conjunxerit, haud fortaſſe, eas inde evellere, & diſſociare unquam poterit, verum in poſterum ſemper tenebræ, quæ puero terricula erant, ſeni terrorem injicient.

§. VI. Cum quis injuria inſigni ab alio afficitur, hominem iſtum atque damnum ab eo acceptum ſæpius ſecum in mente volutando, *Ideas* iſtas ita conglutinat, ut ex iis unam propemodum *ideam* efficiat, nec de homine unquam cogitat, quin ſimul etiam in memoriam injuriæ etiam redeat. Hoc modo ſimultates, ex levibus cauſis ortæ, ad ſeram memoriam propagantur.

§. XII.

§. XII. Cum quis cubiculum ingreditur, in quo ipſemet pericoloſe grotavitæ, aut ſingulariter dilectus amicus in conſpectu ejus animam efflavit; etiamſi hæc haud natura ſua conjuncta ſunt, tanta tamen vis admonitionis eſt in loco, ut, quamprimum *Idea* iſtius animo objicitur, ſtatim priſtini doloris in memoriam redeat; *Ideæ* utriuſque in mente ita permiſtæ ſunt, ut unam ab altera ſejungere nequeat (168).

§. XIII.

Cur tempus morbis quibuſdam animi medeatur, quibus ratio nequit.

QUamdiu *Ideæ* hoc modo inter ſe colligatæ atque implicitæ ſunt, ab iis, quæ complexum iſtum naturaliter ſequuntur, haud ratio nos liberare poteſt. In mente ſi exiſtant, fieri non poteſt, quin operentur, prout naturæ illarum conſentaneum eſt: hinc diſcimus, cur affectus quidem temporis diuturnitate extinguantur, quibus ratio alioquin recta & in hominibus, præceptis ejus alio tempore morigeris, mederi nequit. Ad pueri mortem, quem mater unice amavit, & in deliciis habuit, morſus doloris acerrimi haud ſecus illam excruciant, quam ſi una cum filio vitæ hujus ſolatiis omnibus eſſet orbata; & ſi quis, dolorem ejus leniturus, omnia rationis remedia & allevamenta tentaret, perinde eſſet, ac ſi equuleo excruciatum hortaretur, ut non doleret; nequicquam doloris fomenta quævis prius adhibentur, quam temporis diuturnitas ſenſu priſtinæ delectationis & ingentis etiam damni ab *Idea* filii diſſociaverit, in memoriam ejus redeuntis. Quare nonnulli, in quibus vinculum unionis inter *Ideas* haſce nunquam

(168) *V. adn.* 42. *tom.* 1. 30. *tom.* 2.

quam diſſolvitur, conſeneſcunt mœrore & lacrymis, atque inſanabili hac ægritudine ad extremum uſque vitæ diem affliguntur.

§. XIV.

Exempla alia Effectus aſſociationis Idearum.

Dixit mihi quidam ex familiaribus meis, ſe hominem noviſſe mente captum, cui aſperum valde & ingratum remedium ſanitatem reddiderit. Eum poſtea, tanti memorem beneficii, per vitam omnem gratum ſe præbuiſſe medenti. Nunquam vero deinceps idem remedium, aliis adhibitum, ipſumque medicum coram intueri potuiſſe, cum ita in cruciatus priſtini, cui vix ferendo fuerat, memoriam redierit.

§. XV. Pueri multi verborum, quæ in ſcholis acceperunt, cruciatus libris imputantes, illorum *ideas* ita conjungunt, ut, a libris tanquam ſuppliciis abhorrentes, eos nunquam in poſterum inſpiciant, a quibus alioquin maximos voluptatis fructus cepiſſent. Quædam ſunt Muſæa, in quibus multi nullo modo ſtudiis ſuis vacare poſſunt; itemque vaſa, ſatis commoda & munda, e quibus nonnulli potare propterea nequeunt, quod ex *Ideis* quibuſdam forte annexis faſtidium quoddam conceperunt, quod has res ipſis ingratas reddit. Et quiſnam eſt, qui non animadvertat, quoſdam ad viri alicujus conſpectum, haud alias potioris ipſis, ideo tantum expalleſcere, quod is aliquando in quibuſdam rebus ſuperior evaſerit? Hinc *Idea* auctoritatis implicita ita eſt, & cum hominis Idea ita cohæret, ut alii, ei ſemel ita ſubjecti, eas a ſe invicem diſſociare nequeant.

§. XVI. Hujus generis tot paſſim exempla reperiuntur, ut plura non afferrem, niſi unius adhuc admo-

modum feſtivi mihi in mentem veniret. Juvenis quidem ſaltator elegans, artem iſtam in camera didicerat, in qua ſcrinium quoddam erat vetus, cujus *Idea* ita ſe omnibus ejus greſſibus immiſcuerat, ut non in camera iſta, ſcrinio remoto, & vix alibi ſaltare poſſet. Plurimis, ſcio, hoc fabuloſum videbitur; at ſciant velim, me illud accepiſſe a viro cordato & fide digniſſimo, cui illud exploratum erat. Et quidem pauci, credo, ſunt in rebus notandis paulo curioſiores, qui non alia poſſint memorare, haud minus miranda.

§. XVII.

In habitus Intellectuales operatur.

HAbitus & defectus naturales hoc modo acquiſiti, etſi rarius animadvertantur, non pauciores ſunt, nec minorem vim habent. Si materiæ & exiſtentiæ *Ideas* educatio aut aſſidua cogitatio colligaverit, quamdiu hæ in mente erunt conjunctæ, quæ opiniones, quæ controverſiæ erunt inter homines de entibus pure ſpiritualibus? Similiter, ſi quis a tenera ætate numinis *Ideæ* formam quandam & figuram affinxerit, fieri vix poteſt, quin is de Deo abſurdas poſt notiones habeat.

§. XVIII.

Hoc in Sectis, inter ſe diſcrepantibus, obſervari poteſt.

EX iniqua hujuſmodi & inepta *Idearum* conjunctione, quæ in Scholis Philoſophorum, & Eccleſia cernuntur, Sectas omnes, & ſententiarum concertationes oriri, certum eſt: haud credibile enim eſt, omnes, qui Sectas iſtas ſequuntur, ſibimet ſponte

te imponere, & contra eam, quam clare intuentur, veritatem repugnare. Scio equidem magnam lucri eſſe vim, haud tanta vero eſt, ut ejus illecebris allecti tot hominum cœtus, & in iis omnes ad unum obſtinate & ſcienter falſitatem amplexentur. Fieri non poteſt, quin, quod omnes facere ſimulant, nonnulli ſincera mente veritatem colant: Quare aliquid ſit, neceſſe eſt, quod mentem ita excæcat, ut verum a falſo diſcernere nequeant. Si diligenter itaque examinaverimus, undenam viri ſimplices & aperti in rebus hallucinentur, quæ cadunt in imperitorum intelligentiam, videbimus id ex *Ideis* provenire, haud cognatis & naturaliter inter ſe connexis, verum quas educatio, conſuetudo, aut inſtitutio illorum, qui hæreſin iſtam colunt, in eorum mentibus ita conjunxerunt, ut non magis divelli poſſint, quam ſi una revera *Idea* eſſent. Hinc ſermo inſulſus & inconditus eruditionis nomen obtinet; hinc eſt, quod abſurda & plane pugnantia loquentes demonſtrationibus uti putentur; hinc maximi, pæne dixeram omnes, qui ubique ſunt, errores oriuntur; ſaltem hic omnium longe perniculoſiſſimus error eſt, quoniam, qui eo ducuntur, verum a falſo internoſcere nequeunt. Quando res duæ, in ſe disjunctiſſimæ, menti tanquam connexæ ſemper obverſantur, ſi oculus illas tanquam inter ſe conglutinatas intuetur, licet re ipſa ſint ſeparatæ; qua ratione quis incipiet corrigere errores, duabus ideis annexos, quas omnes, qui objecta vident, hoc modo in mente ſua conjungere ſolent, quoad altera in alterius locum ſuccedat, & quidem, ni fallor, ſine ulla ipſarum perceptione? Per omne illud temporis ſpatium, quo ipſis ita res apparent, nullo modo ſui erroris coargui poſſunt; quin imo ipſi gratulantur ſibi, quaſi ſint fervidiſſimi veritatis defenſores, licet revera erroris partes tueantur; & hæc duarum diverſarum idearum confuſio, quæ, cum in ipſorum mente conjungi ſoleant,

leant, ut una idea habentur, multis eos falſis implet impreſſionibus & ad peſſima ratiocinia perducit.

§. XIX.

Concluſio.

CUm explicatum jam ſit, unde oriantur, quot generum ſint, & quouſque ſe *Ideæ* noſtræ extendant, cumque plurimæ aliæ diſquiſitiones inciderint circa hæc (neſcio, utrum horum nominum ipſis maxime conveniat) inſtrumenta, aut ſupellectilem noſtræ cogitationis, operis a me inſtituti ratio nunc poſtularet, ut ſtatim oſtendere pergerem, quibus intellectus uſibus inſerviant, quamque rerum cognitionem, illarum adminiculo, adipiſcamur. Hoc illud omne erat, quod, primo intuitu, hoc in Tractatu muneris mei eſſe credidi; mihi vero rem propius intuenti perſpicuum eſt, arctam adeo connexionem eſſe inter *ideas* & voces atque abſtractas noſtras *Ideas*, voceſque generales conſtanter adeo ad ſe invicem referri, ut impoſſibile ſit, clare diſtincteque loqui de cognitione noſtra, quæ in propoſitionibus ſola conſiſtit, niſi primo naturam, uſum, atque ſermonis ſignificationem conſideremus, quæ igitur Libri inſequentis argumentum erunt.

FINIS TOM. III.

IN-

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM.

CAP. XXI.

De Potentia.

HÆc idea quomodo obtineatur. *pag.* 3.
Potentia activa & paſſiva. 4.
Potentia relationem includit. 5.
Idea clariſſima potentiæ activæ a Spiritu ſumitur. 6.
Facultates. 9.
Libertatis & neceſſitatis ideæ. 11.
Libertas, quid? *ibid.*
Libertas Intellectus & Voluntatis actum ſupponit. 12.
Libertas non ad volitionem pertinet. 13.
Voluntarium quidem involuntario, non vero neceſſario opponitur. 14.
Libertas quid? 15.
Neceſſitas, quid? 16.
Libertas non ad voluntatem pertinet. 17.
Volitio. *ibid.*
Potentia ſunt agentium. 19.
Libertas haud ad voluntatem attinet. 22.
Libertas pertinet unice ad agentem ſive ad hominem. 23.
Voluntatis reſpectu homo non eſt liber. 24.
Voluntas ab aliquo determinatur, quod extra eſt. 27.
Volitio, quid? 29.
Quidnam voluntatem determinet. *ibid.*
Voluntas & deſiderium haud inter ſe confundi debent. 30
Anxietas voluntatem determinat. 32.

Deſi-

Deſiderium eſt anxietas. 33.
Deſiderii anxietas voluntatem determinat. 34.
Fons eſt actionis. *ibid.*
Maximum bonum poſitivum haud voluntatem determinat, verum anxietas. 35.
Quoniam remotio anxietatis primus gradus eſt ad felicitatem. 37.
Quoniam anxietas ſola præſens eſt. 38.
Quoniam haud omnes, qui gaudia cæleſtia poſſibilia eſſe fatentur, ea acquirunt. 39.
Deſiderium omnem anxietatem comitatur. 41.
Graviſſimæ anxietates voluntatem naturaliter determinant. 43.
Deſiderium omne felicitas. 44.
Felicitas quid? *ibid.*
Quodnam bonum expectatur, quod non. 45.
Unde eſt, quod maximum bonum non ſemper appetitur. 47.
Unde eſt, quod non expetitum haud voluntatem moveat. 49.
Debita conſideratio deſiderium excitat. 50.
Poteſtas ſuſpendendi cujuſdam deſiderii conſiderationi locum facit. 51.
Haud illud libertatem deſtruit, quod a judiciis noſtris determinemur. 52.
Entia, quæ liberrime agunt, ita determinantur. 53.
Conſtans determinatio ad felicitatem perſequendam haud libertatem tollit. 54.
Neceſſitas veræ felicitatis perſequendæ, fundamentum eſt libertatis. 55.
Ratio ejus. 56.
Affectuum moderatio præcipuus eſt uſus libertatis. 58.
Unde eſt, quod homines diverſos tenent curſus. 59.
Unde fit, ut homines malum eligant. 62.
E doloribus corporis. *ibid.*
Judicium noſtrum circa bonum aut malum præ-

fens,

ſens, ſemper rectum eſt. 64.
A falſa opinione de iis rebus, quæ felicitatis partem neceſſariam efficiunt. 65.
Falſi judicii ratio magis particulatim redditur. 66.
In comparatione præſentis cum futuro. 68.
Cauſæ hujus. 70.
In actionum conſequentiis conſiderandis. 72.
Cauſæ hujus. 73.
Falſum judicium iſtius quod neceſſario ad felicitatem requiritur. 75.
Rerum jucunditatem aut injucunditatem mutare poſſumus. 76.
Vitium virtuti anteferre, manifeſtum indicium eſt falſi judicii. 78.
Anacephalæoſis. 80.
Meditatio Johannis Leonardi Marugj de Voluntate ac libertate hominis. 86.

CAP. XXII.

De Modis Mixtis.

Modi mixti quid. 94.
A mente fiunt. 95.
Nonnumquam per nominum eorum explicationem adipiſcuntur. 96.
Nomen partes modorum mixtorum in unam ideam adunat. 97.
Modorum mixtorum cauſa. 98.
Cur vocibus in una lingua non aliæ in alia reſpondeant. ibid.
Cur linguæ immutentur. 99.
Mixti modi, ubi exiſtant. 100.
Modorum mixtorum ideas quomodo nanciſcamur. 101.
Motus, cogitatio & potentia maxime modificata fuere. 103.

Vo-

Voces multæ, quæ videntur actionem ſignificare, non niſi effectum ſignificant. 104.
Modi mixti ex aliis etiam ideis conflati ſunt. 106.

C A P. XXIII.
De ideis noſtris complexis Subſtantiarum.

Subſtantiarum ideæ quomodo fiant. 107.
Ideæ noſtræ ſubſtantiæ in genere. 108.
De ſubſtantiarum generibus. 110.
Nulla clara eſt idea ſubſtantiæ in genere. 112.
Spiritus idea æque clara eſt ac corporis. 113.
De diverſis ſubſtantiarum generibus. 114.
Potentiæ pars magna ſunt complexarum noſtrarum idearum ſubſtantiarum. 115.
Cur vero. 117.
Tria genera idearum complexas noſtras ſubſtantiarum efficiunt. 118.
Qualitates hæ ſecundariæ corporum evaneſcerent, ſi minutarum partium primarias cernere poſſemus. 119.
Facultates dignoſcitivæ ſtatui noſtro accommodatæ ſunt. 121.
Conjectura circa Spiritus. 123.
Complexæ ideæ ſubſtantiarum. 125.
Spiritualium æque claræ ſunt ac corporearum ſubſtantiarum ideæ. *ibid.*
Abſtractæ ſubſtantiæ idea nulla eſt. 126.
Cohæſio partium ſolidarum & impulſus, primariæ ſunt ideæ corporis. 127.
Cogitatio & Voluntas, Primariæ ſunt ideæ ſpiritus. 128.
Spiritus motus capaces. 129.
Animæ & corporis ideæ comparantur. 135.
Partium ſolidarum cohæſio in corpore, haud minus difficulter concipitur quam cogitatio in anima. *ibid.*

Cohæſio partium ſolidarum in corpore conceptu æque difficilis eſt, ac cogitatio in anima. 139.
Motus communicatio per impulſum, aut per cogitationem æque intelligibilis eſt. 140.
Corporis & Spiritus ideæ comparantur. 144.
Haud pluribus Spiritus difficultatibus, quam corporis notio implicita eſt. 145.
Nihil ultra ſimplices noſtras ideas cognoſcimus. 146.
Idea Dei. 147.
De idea. 148.
In complexa noſtra Spirituum idea nullæ inſunt, niſi quæ a ſenſatione aut reflexione oriuntur. 149.
Ἀνακεφαλαίωσις. 150.
Meditatio Johannis Leonardi Marugj in Lockium. 152.

C A P. XXIV.

De Collectivis Subſtantiarum Ideis.

Una idea facta ex coagmentatione plurium idearum. 161.
Per facultatem componendi in mente fit. *ibid.*
Res omnes artificiales ſunt ideæ collectivæ. 162.

C A P. XXV.

De Relatione.

Relatio quid? 163.
Relationes ſine terminis correlativis haud facile percipiuntur. 165.
Termini quidam, qui abſoluti eſſe videntur, relationem continent. 166.
Relatio differt a rebus relatis. *ibid.*
Mutari poteſt relatio ſine immutatione aliqua in ſubjecto. 167.
Relatio inter duas tantum res eſt. *ibid.*

Res

Res omnes relationis ſunt capaces. 168.
Relationum ſæpiſſime magis perſpicuæ ſunt, quam ſubjectorum relatorum ideæ. 169.
Relationes omnes in ſimplicibus ideis terminantur. 170.
Termini animum ultra ſubjectum denominatum ferentes, ſunt relativi. 171.
Concluſio. *ibid.*

CAP. XXVI.

De Cauſa & Effectu, & aliis Relationibus.

Ideæ illorum unde? 172.
Creatio, generatio, alteratio. 173.
Relationes Temporis. 174.
Loci & extenſionis Relationes. 176.
Termini abſoluti relationes ſæpe ſignificant. 177.

CAP. XXVII.

De Identitate & diverſitate.

In quonam identitas conſiſtat. 178.
Subſtantiarum Identitas. 179.
Quid ſit, ceu in Scholis vocatur, Principium Individuationis. 183.
Vegetabilium Identitas. 184.
Animalium identitas. 185.
Hominis identitas. 186.
Identitas conſentanea eſt ideæ noſtræ quam de rebus habemus. 187.
Homo idem. 188.
Perſonalis Identitas. 191.
Conſcia notitia perſonalem identitatem efficit. 194.
Perſonalis Identitas manet, mutatis ſubſtantiis. 195.
Utrum maneat, mutatis ſubſtantiis cogitantibus. 196.

Conſcientia perſonam efficit eandem. 203.
Ipſe, ſeu Identitas ex conſcientia pendet. 204.
Objectum præmii & ſupplicii eſt. 205.
Diſcrimen inter Identitatem hominis & perſonæ. 207.
Sola conſcientia *ipſum* conſtituit. 209.
Perſona terminus eſt forenſis. 212.
Difficultas ex eo oritur, quod nominibus haud recte utamur. 215.
Exiſtentia continua Identitatem efficit. *ibid.*

C A P. XXVIII.

De aliis quibuſdam Relationibus & in primis de Relationibus Moralibus.

Relationes proportionales. 216.
Naturales Relationes. 217.
Inſtituta. 218.
Morales. 219.
Bonum & Malum morale. 220.
Regulæ morales. 221.
Leges. 222.
Lex Divina peccati & pietatis regula eſt. *ibid.*
Lex Civilis criminum & innocentiæ regula eſt. 223.
Lex Philoſophica virtutis & vitii menſura eſt. *ibid.*
Lex Philoſophica virtutis & vitii menſura. 225.
Vim a laude & dedecore mutuatur. 226.
Hæ tres leges regulæ ſunt boni & mali moralis. 228.
Moralitas eſt actionum Relatio ad Regulas haſce. *ibid.*
Moralitas eſt actionum reſpectus ad regulas ſuas. 230.
Actionum nomina ſæpe nos in errorem ducunt. 231.
Relationes ſunt innumerabiles. 232.
Relatio omnis in ideis ſimplicibus terminatur. *ibid.*
Habemus vulgo claram æque (aut clariorem) notionem Relationis, ac fundamenti. 234.
Notio relationis eadem eſt, ſive Regula, ad quam actio quædam comparatur, vera ſit aut falſa. 236.
Meditatio Johannis Leonardi Marugj de exiſtimatione hominum; ac honore. 237.

CAP.

C A P. XXIX.

De Claris & Obſcuris, Diſtinctis & Confuſis IDEIS.

Idearum aliæ ſunt claræ & diſtinctæ, aliæ obſcuræ & confuſæ. 253.
Clarum & obſcurum quid ſignificent, per viſum explicatur. *ibid.*
Cauſæ obſcuritatis. 254.
Diſtinctum & confuſum quid? 255.
Objicitur. *ibid.*
Idearum confuſio nomina reſpicit. 256.
Vitia, e quibus confuſio oritur. Primo, *ideæ* complexæ e ſimplicibus nimis paucis conflatæ. 257.
Secundo, aut quando ſimplices ejus ideæ confuſe inter ſe permiſcentur. 258.
Tertio, aut quando mutabiles ſunt & indeterminatæ. 259.
Confuſio, ſine reſpectu ad voces, vix concipi poteſt. 260.
Confuſio ad duas ſemper ideas ſpectat. 261.
Cauſæ Confuſionis. 262.
Complexæ ideæ in una parte diſtinctæ, in altera confuſæ eſſe poſſunt. 263.
Hoc niſi animadvertatur, in ratiociniis noſtris confuſio oritur. 264.
Exempla ab æternitate deſumpta. 265.
Aliud exemplum a Materiæ Diviſibilitate petitum. 266.

C A P. XXX.

De Ideis Realibus & Fictis.

Ideæ reales Archetypis ſuis conformes ſunt. 269.
Simplices ideæ omnes ſunt reales. 270.

Ideæ

Ideæ complexæ ſunt combinationes voluntariæ. 271.
Modi mixti conflatæ ex ideis, haud inter ſe pugnantibus, ſunt reales. 272.
Subſtantiarum *ideæ* ſunt reales, quando cum rerum exiſtentia congruunt. 273.

C A P. XXXI.

De Ideis Adæquatis & Inadæquatis.

Ideæ adæquatæ ſunt, quæ Archetypas ſuas perfecte repræſentant. 274.
Simplices ideæ omnes ſunt adæquatæ. *ibid.*
Modi omnes ſunt adæquati. 276.
Nominum certorum reſpectu Modi poſſunt eſſe inadæquati. 278.
Subſtantiarum *ideæ*, quatenus referuntur ad reales eſſentias, non ſunt adæquatæ. 279.
Subſtantiarum ideæ, quatenus ad reales eſſentias referuntur, non ſunt adæquatæ. 282.
Ideæ ſubſtantiarum, haud ſecus quam qualitatum illarum collectiones, omnes ſunt inadæquatæ. 283.
Ideæ ſubſtantiarum omnes juxta ac qualitatum illarum collectiones, ſunt inadæquatæ. 286.
Simplices ideæ ἔκτυπα, & adæquatæ ſunt. *ibid.*
Subſtantiarum *ideæ* ſunt ἔκτυπα, & inadæquatæ. 287.
Modorum & Relationum ideæ ſunt archetypi, & non poſſunt non eſſe adæquatæ. 288.

C A P. XXXII.

De Veris & falſis Ideis.

Veritas & Falſitas proprie ad propoſitiones tantum pertinent. 289.
Veritas metaphyſica tacitam enunciationem continet. 290.

Nul-

Nullæ ideæ quatenus ſimulacra ſunt in mente, veræ ſunt aut falſæ. *ibid.*
Ideæ, ad aliquid relatæ, veræ aut falſæ eſſe poſſunt. 291.
Aliorum Ideæ, exiſtentiæ reales, & exiſtimatæ reales eſſentiæ, ea ſunt, ad quæ homines *ideas* ſuas vulgo referunt. *ibid.*
Unde eſt, quod res ita referuntur? 292.
Simplices ideæ, ad alias quando referuntur, nominis ejuſdem, falſæ eſſe poſſunt, hæ vero minime omnium errori ſunt obnoxiæ. 293.
Modorum mixtorum ideæ in hoc ſenſu errori maxime ſunt obnoxiæ. 294.
Aut ſaltem ut falſæ eſſe, exiſtimentur. 295.
Cur vero? *ibid.*
Quatenus ad reales exiſtentias referuntur, nullæ ex noſtris, niſi ſubſtantiarum, *ideis* falſæ eſſe poſſunt. 296.
Primo ideæ ſimplices in hoc ſenſu non poſſunt eſſe falſæ, & cur? *ibid*
Neque ſi cærulei *idea* in uno ab ea differret, quæ in alio eſt. 298.
Primo, ſimplices Ideæ in hoc ſenſu non ſunt falſæ, & quare. 299.
Secundo, Modorum Ideæ non falſæ eſſe poſſunt. 300.
Tertio ſubſtantiarum ideæ falſæ quando? *ibid.*
Veritas aut falſitas affirmationem aut negationem ſemper ſupponit. 302.
Ideæ in ſe neque veræ ſunt nec falſæ. *ibid.*
Verum falſæ ſunt, Primo, cum conſentaneæ cenſentur *ideæ* alterius, cum tamen non ſint. 303.
Secundo, cum reali exiſtentiæ convenire cenſentur, quando non conveniunt. *ibid.*
Tertio, cum adæquata eſſe cenſetur, ſed non eſt. *ibid.*
Quarto, cum realem eſſentiam repræſentare cenſentur. 304.
Ideæ quando falſæ. 305.

Ma-

Magis proprie rectæ aut erroneæ dici poſſunt. 306.

CAP. XXXIII.

De Idearum Conſocitatione.

In omnium ferme ſermone & actionibus aliquid abſurdi conſpicitur. 307.
Hoc non ex philavtia ſola provenit. *ibid.*
Non ab educatione. 308.
Inſania quædam eſt. *ibid.*
Ab Ideis naſcitur, perperam inter ſe connexis. 309.
Complexus hic quomodo efficiatur. *ibid.*
Hinc Sympathiæ & Antipathiæ quædam, quæ naturales habentur, oriuntur. 310.
Quantum interſit, ut huic abſurdæ idearum connexioni opportune antevertamus. 311.
Hinc errores multi. 312.
Exempla ejus. *ibid.*
Cur tempus morbis quibuſdam animi medeatur, quibus ratio nequit. 313.
Exempla alia Effectus aſſociationis Idearum. 314.
In habitus Intellectuales operatur. 315.
Hoc in Sectis, inter ſe diſcrepantibus obſervari poteſt. *ibid.*
Concluſio. 317.

AΦ1
1453471

Digitized by Google